IACOBI

BIDERMANI

E SOCIETATE IESV

EPIGRAMMATVM LIBRI TRES,

CHRISTO DEOQVE TER OPT. MAX.

DEIPARAE VIRGINVM VIRGINI, &

B. IGNATIO SOCIETATIS IESV CONDITORI

consecrati.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCKIVM
sub Monocerote, M.DC.XX.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

TRes Epigrammatum libros à Iacobo Bidermano, in Academia Dilingana Profeſſore Theologo, olim conſcriptos, & nunc à quatuor Patribus noſtris approbatos, Ego Chriſtophorus Grenzing Societatis Ieſu, per Germaniam ſuperiorem præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi conceſſa ab admodum R. P. Mutio Vitelleſco, eiuſdem Societatis præpoſito Generali, typis in lucem vulgari permitto. Enſiſhemij XXIV. Aug. Anno M.DC.XIX.

Chriſtophorus Grenzing.

REVERENDISSIMO ANTISTITI, ILLVSTRISSImo Principi,

HENRICO

EPISCOPO AVGVSTANO.

IACOBVS BIDERMANVS è Societate IESV.

SI MAGNA solùm, id est, SVI similia PRINCIPES amarent, erubescerem hunc tibi *Libellum* ostendere, nulla nec *mole* sua, nec *opere* magnum, HENRICE PRINCEPS. Nunc documento plus vno compertum est, *Vilibus* etiam *rebus* suum apud HEROAS precium esse, cùm eas preciosis inclusas conspicantur. Ità *Casus* repentem olim *Formiculam*, cùm in *Electri* glaciem coaluisset, ex humili fortuna in *Miraculum* vsque euexit. Ità *Papilionem* aliquis in *Anuli* gemma cælauit, & in *Vermiculi* vmbra omnem PAVONIS superbiam extinxit. Alius aliud, nescio quid *minutum*, simul vt *ebore* animauit, mirabile *magnumq;* fecit.

fecit. Nimirum *aliena* se ope tuentur, quæ niti *sua* non possunt. Pari vtendum est ingenio mihi, HENRICE PRINCEPS; vt hic Epigrammatum *libellus*, cetera omnia obscurus, è pellucente *Electro* conspicuus esse; id est, ex *Illustrissima* nominis tui *Fama* tralucere nonnihil incipiat. Ecquo enim *Electro Liber* gaudeat illustriori; quàm si in eius *Principis lectissimo sinu* deponatur, cuius vnius & *Ingenio* probantur litteræ, & *exemplo* suadentur, & *patrocinio* fouentur? Quæ omnia in *Te* vno *Libellus* hic reperit: vt vel ideò se putet eruditum, quòd, quicquid aliud aberret, in deligendo tamen *Patrono didicerit non errare*. Quamquam profectò exigebant iam olim ingentia *Merita tua*, vt non *Papiliones* hos tibi, aut infimos Ingenij partus reponerem: sed vt tota mecum *Societas* admitteretur, quò tibi maius olim, ac *Principe* dignum alicubi *Monimentum* statueremus. Tibi enim, *Illustrissime Princeps, Collegium* hoc pridem vniuersum, & *Academiæ* huius frequentissimæ studium, ac postremò pulcherrimum Societatis *Templum* omne se debet: quod vt à fundamentis in

hanc

hanc amplitudinem breui consurgeret, tuo tu sumptu exemploq́ impensè laborasti. Quare quod olim HENRICVM CAESAREM præisse viderat *Bamberga*, id hodieque HENRICVM PRINCIPEM imitari vidit *Dilinga*. Viuent hæc tot *Virtutum* tuarum ornamenta in animis nostris, & quod balbutiente voto *Libellus* nunc meus inceptat, grandiores aliorum *Calami* prolixè pergent apud omnes posteros contestari; *Hanc vnam tulisse nos iniuriam tuam, quòd magnitudine beneficiorum tuorum viuere nos moriq́ coëgeris ingratos.* DEVS OPT. MAX. *Illustrissimam Celsitudinem Tuam* Nobis, Patriæ, Ecclesiæ incolumem diu conseruet. Cuius *Voti* vt damnemur, non deerunt, qui de suis Annis addere ad Tuos auidissimè concupiscant. Dilingæ, VIII. Idus Decembris, ipso die S. NICOLAO Natali, CIↃ. IↃC. XIX.

BENEVOLO
LECTORI BENE.

EPigrammata, *quæ* Adolescenti *etiamdum, aut certè* Iuueni *mihi exciderant, & sparsim, vt cuique licuit,* effugerant; *ea visum est multò pòst è* fuga *retrahere, & ex omni numero* pauca *solùm in has modici* libelli *angustias cogere. Placuit autem in* lemmatum *varietate delectum habere; nec nisi* Sacra *ferè, eaq; maximam partem* Historica *centuriare: plerisq; alijs exauctoratis, quibus* idem Argumentum *non esset. De vtroque genere quædam hîc monere necessarium duco.*

I. De Sacris *quidem: Non decuisse professionem meam, vt in alijs scriptitandis magnoperè sudarem. Quis enim cordatus in* Poeta religioso *aut* Mimicos sales *expectet, aut* mordaces Satyras *amet? aut* adulantes Hendecasyllabos *probet, aut* molles Elegos *ferat? Abeste dedecora* Carminum *à calamo* Christiano! *Plus satis in hoc* AGONE *illusum est* Musis *iam olim. Et si* Peligni, Vmbrique *tum defuissent,*

sent,

ſent, Æui noſtri infamia non vnum Bezam *ſuppeditaſſet, qui* Parnaſſum *peſſimis argumentis incaſtaret.*

II. De Hiſtoricis *porrò non diſſimulo, me in eo genere conſectando maiorem operam poſuiſſe; quòd videbam eadẽ cùm in* Martiali & Claudiano, *tum apud alios primi ac medij æui poëtas, non ſine plauſu excepta fuiſſe; & verò peculiarem ijs ſiue* dignitatem *à materia, ſiue* illecebram *ab oratione conciliari poſſe. Atq; eædem cauſſæ fuerunt, cur longiuſcula plerumq; mallem. Quanquam hodie ſunt, qui* ſingulis *propè* Verſibus *abſolui* Epigrãma *debere contendunt; &* ſe magnificè locutos *credunt, cùm in omnibus paginis ſuũ illud* Acutum *CVR, QVIA, decies increpuerunt. Qui profectò, vt modeſtiſſimè dicam, & ſua ſe inſcitia, & veterum Poëtarum iniuria ſatis confutant. Si tamẽ vincere in hac cauſſa tam pertinaciter laborant, vltrà non pugno: Quodlibet nomen* Verſibus *imponant, & cum bona venia, quaſi è* Quinquennalibus *victores diſcedant.*

III. In tertio *deinde* Volumine *Miſcellanea ſunt; quorum aliqua* perſtringunt *modicè quoſdam; ſed vel ſublato nomine,*

vel

vel personate. Quòd si quis se ipse prior infamauit, aut nomen suum labe publica aspersit; is tametsi nominabitur, Epigrammati meo nihil imputabit. Ipse enim satis iam sibi cauit, ne quid de honore suo amittere posset.

IV. Postremò, ex his Epigrammatis nonnulla iam antehac vel libris *editis vulgata, vel* formis Sadlerianis *subscripta, passim circumferebantur. Quæ etsi tum nullum auctorem præ se tulêre,* mei *tamen* iuris *esse nunquam desierunt. Agnosce Lector & vale: ac si qua probas, Deo vni omnia assere; si qua secùs, excusa beneuolè, & errantem mone: Neminem alium habuisti minùs pertinacem; vt qui hæc mea aliaq; omnia Ecclesiæ iudicio sanctissimè velim permissa.*

EPI-

EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS CHRISTO DOMINO DEOQVE SVO TER OPT. MAX. SACER.

PROGRAMMA AD CHRISTVM DOMINVM DEVMQVE NOSTRVM.

CHRISTE pios lusus, primę *ioca* parca *Iuuentæ*,
Et nullo imbutos accipe *felle* Sales;
Sparsa *Lycambeis* hîc nulla cruoribus *hasta*,
Nulla per infamem iacta sagitta *Paphum*.
Pota sed *Aoniis* mihi *Musa* est parciùs *vndis*,
Ebria ne *nimius* falleret ora *liquor*.
Nam scio, *Casta* probas, & *verso pollice* damnas
Carmina, *Peligno* quæ maduêre *ioco*.
Hinc *veniam* malè compta putat se *Musa* mereri;
Optat enim *domino Casta* placere meo.
Vos tamen hoc *Phrygij* reprehendere pergite *Galli*:
Plus *bonus* à *vobis* nollet habere *liber*.

I.

Lacrimę Christi Nascentis.

SEV lacrimas *fera*, Christe, *tuas* tigris *vlla videret,*
In lacrimas tigris *solueret ora suas.*
Siue tuos questus *audirent* saxa, *repentè*
Ad questus *fierent mollia* saxa *tuos.*
Christe, *quid hoc monstri est? Ego, te* lacrimante, *cachinno,*
Et nihil, vsque licèt, Christe, *querare,* queror.
Dura minùs tigris *est; Minùs, ah minùs! aspera* petra *est:*
Ridet homo: *fieret si* petra, *fleret homo.*
Tigris *ero: plorare feræ modò pergite* tigres:
Pergite dura queri Marmora, Marmor *ero.*

II.

S. Antonius, spectris infernis illusus.

Nox *erat: at* Noctem *rutilæ fax æmula* Lunæ
Mutato fieri iusserat ore diem:
Cùm vigiles sine teste trahens Antonius *horas,*
In sua cęlestem *vota vocabat* opem.

Quas

Quas vbi Larua *preces* Acherontia *sensit*, ad
arma,
Continuò socios è styge ad arma *vocat.*
Et vario terrore vijs Nemus *omnibus implens*
Mille *suas* voces *tollere* Monstra *iubet.*
Mille *repentè* feras Antonius *aspicit* Orci.
Vocalesq́; audit Mille *repentè* feras:
Setigeros grunnire Sues; rugire Leones,
Et patrio Arcadicos rudere *more* greges.
Et Libycos barrire boues, & frendere tigres,
Atque vlulare lupos, *atque* vlulare canes.
Quodq́; magis siluam *confundere cœperat*; *idem*
Mutatâ vidit rudere *voce* Sues:
Auritos rugire *greges*, grunnire Leones,
Et barrire lupos, *atque* vlulare tigres.
Informes timuit Nemus *hâc in imagine* formas,
Lunaq; *discordes horruit* excubias.
Sed formas *ridens* vocesq; Antonius, *vltrò*
Exprobrat imbelli Panica *monstra* Stygi;
Et, licèt, Orcus, *ait*, Tigrimque, Lupumq;, Canemque,

Atque referre Suem nouerit, atq; Bouem:
Ora tamen Porci velociùs induit Orcus,
Nam simul addita erat littera, Porcus erat.

III.

Flagellum CHRISTI sanguine purpuratum.

Iratus Domini pòst quàm nudata satelles
Intento cupijt terga secare flagro,
Sæuitiem voluit refugum damnare flagellũ,
Immitemq; inter mitius esse manum.
Sed parere manus cùm cogeret impia, flagrũ
In Domini tergo protinus erubuit.

IV.

S. FELIX, inter aranearum telas ab hostibus defensus.

Vrbs vbi Nola stetit prælis vicina Falernis,
Ingenij specimen grandis Arachna dedit.
Multus ibi Lictor vestigia fortè legebat,
Per quæ visus erat Mysta dedisse fugam.
Mystaq; lictores iam senserat esse propinquos,
Iam tergo iniectas penè coire manus:
Et nusquam loca tuta fugæ super vlla; nec vlla,

Quâ

Quâ profugus posset fallere, vallis *erat.*
Numinis *ergo* fidem *querulo vocat* ore: *vocatam*
Numinis *extemplò sensit adesse* fidem:
Nam vetuli suberat felix discordia Muri,
Quem vacuo ruptum *vidit hiare* sinu.
Huc subiens; hoc, inquit, habes, *si viuis*, Asylum,
Aut certè tumulum, *si morieris*, habes.
Vix bene dum muri *penetrârat in* abdita *Mystes*,
Cùm patulas lictor *restitit ante fores.*
Suspectasque *ratus, subijt; nisi visa iuberent*
Iam penè illatum signa referre pedem.
Nam grauido velox è viscere fila *tetendit*,
Et medios illis clausit Arachna *lares.*
Lictor *vt hoc septas vidit* propetasmate *valuas*,
Hunc sibi suspectum iam negat esse locum.
Arceturq; specu (*quis credere posit*?) aperto,
Ceu foret obiectis septa latebra seris.
Quippe iubente DEO, *cùm neret* aranea *telam*,
Tela *videbatur*, Murus ahenus *erat.*

V.

B. IGNATIVS, iam cœlo receptus.

Eminus aspiciens ego quondam Sidera, *dixi*,
A stra *placent*; *Serua res tibi*, terra, *tuas*.
Nunc ipsis aliquid video *formosius* Astris:
Parcite, sordetis *iam propè &* Astra *mihi*.

VI.

Aliud de Eodem.

Quæ toties Oculis *spectasse madentibus* Astra,
Hospes in Ausoniâ *fertur* Iberus *humo*;
Illa, procul *spectata licèt*, *procul* Astra *placebant*,
Sordebatq; *mero putida* terra *luto*.
Nunc eadem Loiola *videt dum* cominus *idem*
Strata sub emeritos Astra *venire pedes*:
Suspiciant *alij gemmata* palatia, *clamat*:
Ista, *mihi quamuis* despiciantur, *Amo*.

VII.

S. PAVLVS Anachoreta, corui obsequijs pastus.

In Pelusiacæ *spelæo exegerat vmbræ*
Secula cornici *vix superanda* senex.

Huc

Huc subigente metu puer *iuerat ille, notatos*
Sensit vt affini *proditione lares:*
Illum nullus *ibi, nullum ille ibi viderat: vni*
Acta feras *inter* noxque diesque *fuit.*
Sic bis dena *seni properârant* lustra; *nec vllo*
Pastus ab humano *vixerat* obsequio.
Sed cùm longa famem *facerent* ieiunia, *ferre*
Tunc sibi morigeram prandia *vidit* Auē.
Illa seni, *dum* solus *erat*, *stata* fercula *portans*,
Farrea *dimidiâ pro dape* liba *dabat.*
At peregrè longæuus *ei cùm venerat* hospes,
Attulit integras ala *ministra dapes.*
Vberiora *dari si vis tibi* fercula, *plures*
Inuita; ad numerum *fercula* Coruus *habet.*

VIII.

CHRISTI facies in velo Veronicæ expressa; ad hominem spectatorem.

Cernis, vt in picto liuescant vulnera *velo!*
Et pius à ræso *defluat* ore *cruor!*
Stant oculi *lacrimis; infestant* tempora *sentes;*
Et caput *impexis squallet inerme pilis.*

Forma *caret formâ*; color *illi est absque colo-*
re:
Quâ fuit arte, *rogas*, picta *tabella*? TVA.

IX.

CHRISTVS Dominus, tribus telis orbem fulminare paratus; sed à Beatissima Virgine impeditus.

Numen *vt excelso despexit ab ęthere* Terras,
Vidit ibi studijs *omnia plena tribus.*
Inde superciliis *incedere* grandibus *omnes*;
Inde manum *vetitis omnẽ inhiare* lucris.
Ignibus *inde omnes ardere* Cupidinis. *Et mox*
Ista triplex *plectet* crimina *fulmen, ait.*
Arreptoq; manus impleuit fulmine; *quale*
Sparserat in clades antè, Gomorrha, *tuas.*
Iamq; statas vindex *in pœnas* dextra *ruebat,*
Accidit ad dominos *cùm bona* Virgo pedes.
Et quò spectat, ait, tanti, DEVS, *ira* furoris?
Quemue tribus *ferient* tela *trisulca minis?*
Cerno quidem Terræ *funesta* piacula; *cerno*,
Et dudum votis *exsecror* illa *meis.*
Si tamen irritant isti *tua* fulmina mores,
Quando tuo *intactus* fulmine *mũdus erit*?
Parce piâ punire manu. *Non cernis, vt* ægro
Hic *medicas* orbi *tendat, & ille* manus?

Hic

Hic Franciſcus *erat* ; Franciſci *erat* ille ge-
mellus :
Alter *ibi viſus* Virgini, & alter *erat*.
Fulmina *nunc peior timet* altera *mundus*.
An alter.
Fulmina Franciſcus *qui remoretur adeſt?*

X.

IESVS puerulus tergum ſerpentis
ſtygij calcans.

Grandia Lethæi *premit* infans *terga* colubri;
Nunquã aliàs orcus *tam graue ſenſit* onus.

XI.

Aliud ad Eundem.

Vix pede *poſſe* tuo *conſiſtere crederis* infans,
Et ſtygiam *calcas iam* pede *vtroq;* feram.
Ah ſatis informem plantâ *dignatus es* Hy-
dram ;
Stare poteſt humeris *iam tua* planta *meis*.

XII.

S. BENEDICTVS, tintinnabulo
vocatus.

Quà ſuper exeſis informia rupibus *antra*
Tergeminos *ſpectant non procul eſſe* la-
cus:
Hic totam Benedictus *erat* trieterida : &
Hoſpes

Hoſpitis vnius *conſcius* vnus *erat.*
Vnus hic & panes, *&* fercula *menſtrua furtim,*
Et reliquam farto corbe *ferebat opem.*
Fortè aliquando cauâ pendens à rupe, *ſub imum*
Fercula *mittebat* fune *ligata ſpecum:*
Tinnulaq́; oppleto ſuſpenderat æra *caniſtro,*
AEra, *propinquantum tinnula* ſigna *dapum:*
Cùm petijt ſaxo *ſtyx* tintinnabula; *ne quà*
Diſceret allatos hoſpes ab ære *cibos.*
At nihil orce *ſapis, dum* tinnula *percutis* ęra:
Percuſſa *audiri clariùs* æra *queunt.*
Fac tamen, vt nullo Benedictus *ab* ære *vocetur:*
Ieiunum *poterit muta vocare* Fames.

XIII.

In Sacrilegam manum, quæ CHRISTVM cecîdit.

Annæum *ſtanti quondam* Chriſto *ante tribunal,*
Inſontem manus *eſt auſa ferire genam.*
Siſyphe *pone tuas,* Ixion *exue pœnas;*
Omnis in hac debet viuere pœna *manu.*
Sed facilem ſceleri *pœnã cur imprecor? ipsũ*
Tale

Tale sibi facinus *maxima* pœna *fuit.*
Scilicet erubuit DEVS *inter verbera quãdo*
Militis in dextrâ *debuit esse* rubor.

XIV.

Imago B. ALOYSII, in Crucem intenta.

A Crucis *aspectu* Gonzagæ *pendet* Imago,
Ipsa, quod archetypon *fecit*, imago *facit.*

XV.

S. MENRADVS, familiaribus coruis vsus.

Gratuitâ Menradus *aues cùm pasceret escâ,*
Quam sibi de dapibus *dẽpserat ipse suis*,
Alituum *venêre greges ad* prandia *iussi,*
Turbaq; Nutricem *visit* alumna *domũ.*
Venit & assuetus furtis; *licitasq; poposcit*
Iam melior rostro Coruus *hiante dapes.*
Sed quernas vbi latro *sudes in inerme* patroni
Impius illisit terq; quaterq; caput,
Concidit ille pius *defectis sensibus* hospes,
Et volucrum altrices *succubuêre* manus.
Interea de more redit ieiunus *ad escam*
Coruus; *at in manib⁹* pabula *nulla videt.*
Assilit *ergo frequens, & blandus* adambulat;
&, quam

Sæpe datam meminit, poſcit alumnus *opē.*
Iamq́ latus roſtro, *iamq́* alâ *verberat; ipſas*
Officijq́ manus vngue *iocante monet.*
Parcere Menrado *ſi* fuſtis *noluit; iſti*
Debebat ſaltem parcere fuſtis aui.
Nunc nō vna tibi, latro, *hæc fuit, impie, cædes;*
Mactaſti inſontes fuſte fameque *duos.*

XVI.

Puerulus IESVS, gratiæ plenus.

Cùm DEVS *humanæ promitteret* omnia *genti,*
Quæ vel habet Tellus, *quæ vel* Olympus *habet:*
Obſtupuit nimio turbatus homuncio *voto,*
Nec ſibi ſat laxos *eſt ratus eſſe* ſinus.
Non capit, ô Superi, *mea veſtram* anguſtia *gazam,*
Nec breuis effuſis ſufficit arca bonis.
Componi poterunt hæc votis *dona* duobus;
Sit ſinus hic maior; Gaza *ſit iſta* minor.
Cauit vtrumque DEVS; *dum per Compendia paruo*
Omnes in pueri *corpore clauſit opes.*

XVII.

Beatiſſima VIRGO, & S. ELISABETHA.

Virgo parens IESV; *Genitrix* Ioānis Eliſa,
Felix

Felix quæque ſuo *pignore* Mater *erat.*
Magna *ſed ante alias fuerit licèt vtraque* Matres:
Vtraque prole *ſuâ debuit eſſe* minor.

XVIII.

Angeli infra, circaque pedes Beatiſſimæ Virginis adpicti.

Libera ſublimi portatur in æthere Virgo,
Et colit impoſitos ſubdita Luna *pedes*;
Aligeri *circaq́ volant, infraq́* Miniſtri;
Ne mirare; ſuprà *nemo volare poteſt.*

XIX.

S. VVINALOCIVS, mare ſiccans, & aridam irrigans.

Stabat in Oceani *fugiturus littore; ſed nec*
Nauta, *nec in ſterili littore* nauis *erat.*
Quò tendemus? ait VVinalocius: *Impedit omnem*
Seu defecta ratis, *ſeu maris* vnda *viam.*
Sed licèt obſtet, ait: pedibus tamen æquora *noſtris*
Omnia reiectâ *peruia* puppe *dabo.*
AEquoris *inde manu* VVinalocius *increpat* vndã,
Et refugo hinc atq. hinc paruit vnda ſalo.
Vitres *dixiſſes inſurgere* mænia; *vidit*
Qualia Erythreo *ſurgere turba* mari.

Transiit ergo pedes, *mirantibus* æquoris *vndis*,
Inq́ suum redijt *transita* lympha *vadū*.
Ad loca sed pòst quàm VVinalocius *arida venit*,
E squallente nouas pu'uere *duxit* aquas.
Quis nouus hic Moſes? *Vbi* lympha *eſt, lympha* recedit:
Nulla vbi lympha *fuit*, lympha *repentè fluit*.

XX.

Ad Beatiſſimam Virginem, pro infantulo dormiente excubantem.

Sopiti bona claude parens *duo* ſidera *nati*:
Orbis *habet* ſoles *te vigilante*, duos.

XXI.

Imago Pueruli IESV, veriſſimè lacrimantis.

Cernere ſiquis auet rorantia Numinis *ora*,
Lapſaq́ per madidas viua *fluenta* genas:
Cernat Apelleis *hæc* ora *natantia guttis*;
Tinctaq́ diuinis *ora putabit* aquis.
Quàm ſimiles ars *fecit aquas? Hanc flere* tabellam
Siue DEVS *vidit, ſiue* tabella DEVM.
Imò ſuos *iterum ſi* Numen *funderet* imbres,
Cre-

Creaeret hæc imbres *esse tabella* suos.

XXII.

S. Barbara Virgo, Martyr.

Barbaricæ *mihi nomen erat gentile puellæ*,
Id genitrix *nomen iussit, id esse* pater.
Sed dum vita *meos ostendit publica* mores,
Mentitum nomen *se videt esse* meum.

XXIII.

S. Iodocvs, annonâ diuinitus missâ pascitur.

Arcta fames, *vacuæq; grauis* penuria *mensæ*
Auia deserta cinxerat antra *casæ*.
Regius exul ijs Iodocus *agebat in* antris,
Pulsabatq; piâ perdius astra *preco*.
At quia dura fames *spem vincere perstitit omnem*,
Atque manus *nullam præbuit vlla* stipē.
Terra *rogatur opem! sed opem negat arida* tellus;
Imploratur Homo! *sed nihil audit* Homo.
Audijt vnda *precem*: *nulloq; repentè* Magistro
Misit pane *graues ad* famis *antra* rates.
Verterunt elementa *fidem!* Sitientibus *olim*
Vnda *dabat* potum; *nunc dedit* vnda cibum.

XXIV.

Statua S. PETRI, assiduè lacrimantis.

Ecce genas! longi monimēta *perennia* luctûs!
Fundit adhuc veteres forma *superstes aquas.*
Innumeris *peccasse putas hunc* noctibus! *vna* (est:
Noctem vnam innumeri *iam doluêre dies.*
Hei mihi! quàm longè, Petre, *differo*: *Plurima* Noxæ
Nox *fuit & pœnæ vix fuit* hora *mihi.*
Erramus. Mea, Petre, *tuis iam* culpa *querelis*
Conuenit; & lacrimis iam tua culpa *meis.*
Commutare decet. Lacrimas *ego fundere per*-(gā:
Parcere tu lacrimis *incipe*, Petre, *tuis.*

XXV.

Beatissima VIRGO, stellis ornata, & filiolum vlnis complexa.

Stella *humeros*, & mitra caput *licèt* aurea *cingat*:
Implent dona *meos vberiora* sinus.

XXVI.

Anachoreta anonymus, difficili aquatione vsus.

Sueuerat asiduus longinquo *ex* amne *remotum*

In

In magale suam ferre Sititor *aquam:*
Denique pertæsus, ripâ decreuit in ipsâ
Contiguam lymphis *ædificare* casam.
Hæc meditans, haustum *referebat ab* amne *liquorem,*
Iamq; extremus, *ait, tu meus esto* labor.
Alteram enim Phœbus *cùm lucem ostenderit* orbi,
Non eris à laribus *lympha* remota *meis.*
Dixit, & obuersus *cœlestem vidit* Ephebum
Obseruare suos *& numerare gradus.*
Attonitusq; rogat, quæ caussa *subegerit ipsũ*
Sollicitè positos dinumerare *pedes?*
Ille, quot, inquit, habet sollennis aquatio *pas-* (*sus,*
Tot sua quisque tuus præmia *passus habet.*
O numera! Duplicabo *gradus, ait alter; &* haustas
Littore ab extremo *ferre placebit* aquas.
Lõgius *inde* duplo *solitas contendit ad* vndas:
Visusq; est duplo *iam* labor *esse* minor.

XXVII.

Beatissima VIRGO, ab Angelo salutata.

Mortali cœlestis Aue *cùm lingua* puellæ
Diceret, ô signum grande salutis Aue!
Erubuit mutata genas vultumque *puella,*

Et

Et ſua in obiectam lumina *fixit humum.*
Conuenienter humi, Virgo, *tua* lumina *figis*,
Omnia *ſunt* oculis *inferiora* tuis.

XXVIII.

Angelus, Beatiſſimam Virginem ſalutans.

Virginis *ora Sacer cùm talia cerneret* Ales,
Qualia nulla hominis *viderat* ora *prius:*
Ad ſocios conuerſus, Humi procumbite, *dixit*,
Terra *aliquid*, Superi *quod* venerentur, *habet.*

XXIX.

Simeon Stylita.

Quæ noua ſublimi libratur in aëre *moles?*
An rediuiue tuum Phœbe coloſſon *habes?*
Stat Simeon, *oculiſq; videt ſublimibus* aſtra,
Excelſoq; humilem ſub pede *ridet* humũ.
Nulla dies *illum*, Nox *cernit nulla* iacentẽ,
Nec cernit Soles *ille, nec* Aſtra *ſedens.*
Stans *videt vſque* diem, *videt vſque recedere* noctem,
Stansque *aliam* noctem, ſtansque *redire* diem.

Sic

Sic vnam per lustra *premit plus* dena *colum-*
nam,
Et Simeone *prius fessa* columna *fuit.*
Nubibus ex altis mortalia *despicit* : *& se*
Siue aduersa *supra*, *siue* secunda, *videt.*
Iam cingare licet Simeon *à* nubibus *istis*;
Clarus *in his orbi* nubibus *esse soles.*

XXX.

CHRISTVS ad ingratum hominem; de Natali.

In stipulâ sectoq́ue puer *dum* vagio *culmo*,
Me colit obnixo rustica *turba genu.*
Stellatâ toties ego nunc tono maior *ab aula*,
Maioremque *minus me tamen illa colit.*
Ingenio cogam: si non nisi parua *coluntur*,
Ad stipulas infans *ergo* redibo *meas.*

XXXI.

Imago Beatissimę Virginis.

Pingeret ipsa suos *si iussa* modestia *vultus*,
Virginis *hæc huius pingeret* ora *sibi.*
Hinc, puto, Cęlicolis *est tanta* modestia; *pos-*
sunt
Illam de vultu *discere*, Virgo, *tuo.*

XXXII.

ZENO Anachoreta ab Angelo reficitur.

Ibat inexplicitia nemoris *per deuia* Zeno,
Qua-

Quale tuum fertur, Creta, *fuisse* nemus:
Et neq; iã gnarus quo tramite *pergeret vltrà*,
Et neque qua demum parte *rediret, erat*.
Interea cœpêre simul discedere vires,
Et gelidi nullum robur *habere pedes*.
Esca *viatori deërat simul omnis*, & vnda,
Inq; vìâ *nullam viderat* erro *viam*.
Opportunus *ibi sublimibus* ales *ab* astris
Attulit in grauido munus *vtrumq; sinu*.
Ille diu dubius panem *præferret*, *an* vndam?
Suauis enim & panis, *suauis* & vnda *fuit*.
Sæpe iube Zeno *vires succumbere*; Morbum,
Talis vbi est Medicus, *vel* simulare *velim*.

XXXIII.

Ad B. MAGDALENAM in charta lacrimantem.

Seu tumulum fratris, *seu* Christi *busta reuisis*,
Seu notos Domini *procidis ante pedes*:
Tota mades lacrimis; & *in omnibus vna tabellis*
Assiduo pictos *imbuis imbre* sinus.
Quando voles fletus, *bona* Magdali, *sistere* pictos?
Cùm facies viuis *vestra madebit* aquis.

XXXIV.

XXXIV.

S. LAZARVS, ante Ianuam diuitis abiectus.

Lazarus *informi deformis ab* vlcere, *paruam*
Oratum à magnis Ciuibus *ibat opem*:
Venit ad ingentem postremò diuitis aulam,
Certam ibi pellendæ spem ratus esse fami.
Ebria enim sonuit Calicum *aula* trahonibus: *ipsæq;*
Exundante fores *immaduêre* mero.
Ergo parare preces, *&* vota *mouentia perstat*
Esuriens potas Lazarus *ante fores.* (*linâ*
Hîc quamuis stridente vapor nidorque *cu-*
Plurimus immensas proderet esse dapes,
Exiguæ Cereris micam *tamen ille poposcit*;
Quæq; petita fuit mica, *negata fuit.*
Crudele attoniti Dominum *fugêre* Molossi,
Et parcam *auersi deseruêre* domum.
Spectatoq; pedum *mananti* pure, *iacentem*
Ante ægrum *placidi procubuêre* canes.
Et simul exserto blandæ propetasmate linguæ
Certârunt lacero *lambere quisque pedes.*
Quis docuit mores *in* auaris *ædibus istos*?
A vestro certè non didicistis hero.
Demigret *in terris pietas, non* emigrat: *Esse*
Quando recusat homo, *scit* Canis *esse* pius.

XXXV.

XXXV.

Puer IESVS, ſupra ſuum Nomen inſiſtens.

Ipſe tuum inſiſtis, IESV *pulcherrime,* Nomen;
Stare loco *nuſquam* nobiliore *potes.*
Nomen *enim, famulo quod adorant poplite* reges,
Solùm infra dominos *debuit eſſe pedes.*

XXXVI.

CHRISTVS, ſpinis coronatus, ad hominem.

Mitia quòd cingant implexi tempora ſentes,
Cæleſteſq́ tegat ſpinea *ſilua* comas!
Includenda *nouo mea ſunt mihi* tempora *ſepto,*
Paullùm vt ab humana *ſint mihi* tuta *manu.*

XXXVII.

S. VVVLMARVS, crepitaculo ad cenulam vocatus.

Silua *erat, & vacuæ* VVulmarius *incola ſiluæ,*
Et comes *in ſiluâ nemo* ſecundus *erat.*
Solus ei patrijs germanus *ab ædibus, omnem*
Sæpe miniſtrato pane *ferebat opem.*

Sed

Sed quoties veniebat opem *laturus, vt alter*
Eminus allatas sciret adesse dapes,
Insonuit rauco stridore; *famemq́; citauit*
Pensilis ilignâ malleus *in tabulâ.*
Hospes ibi, quamuis aurę que vndę que *su-*
surros,
Facundasq́; libens aure *probaret* aues,
Germano pulsante *tamen, de* valle *reuersus*
Stridentem tabulę *cœpit amare* sonum.
Et licèt, inquit, aues *cantârint* suauiter *oẽs,*
Malleus *accinuit* suauius *iste mihi.*

XXXVIII.

S. SCHOLASTICA, ritu columbę in cœlum euolans.

Vltima clausisset cùm fata Scholastica, *tolli*
Candida confestim visa columba *fuit:*
Quam Benedictus *vbi conspexit ad* astra vo-
lantem,
Nunquam aliàs cupiјt Dędalus *esse magis.*

XXXIX.

S. SEBASTIANVS, ad sagittarios tortores

Brachia *siluestri religantur inermia* trunco.
Adstrictosq́; tenet barbara silua *pedes;*
Ipsa etiam careant mea ne pręcordia siluâ,
Penè aliam siluam *vestra* sagitta *facit.*

XL.

XL.

S. Clara, ferculum Eucharisticum præ se ferens.

Prætentum gestas ipso præ pectore Solem;
Iam bene te Claram *dicere* virgo *potes.*

XLI.

S. Landelinvs, fontem eliciens.

Cùm fera Santonicâ *squallerent prata* Saburiâ,
Siccaq; fontanas terra *negaret* aquas:
Perculit elato sitientia Tesqua *bacillo*
Hospes; *& in* baculi *verbere* pondus *erat.*
Imperium nam terra *viri mirabile sensit;*
Fundere prompta omnes, *quæ peterentur*, opes.
Auxilium rogat ille Siti: *neque* Terra *recusat*,
Seu danda vnda *foret, seu* mera *danda* siti.
Dixisset se velle merum; *mera* vina *dedisset*:
Mella *dixisset flumina*, mella *daret.*
Optasset Terræ lac *iret ab* vbere; *iussset*
Lacteus *insuetis* humor *ab vberibus.*
Tandem vndam *optanti*, Tellus *dedit illicet* vndam:

Grati-

Gratior hæc illi melle meroque *fuit.*
Nunc ſcio, cur Tellus *tam prompta profuderit* vndas :
Nā percuſſa graui verbere fleuit Humus.

XLII.

Puеruli IESV fuga in Aegyptum.

Vix ingreſſus erat vicini Regna Canopi
Bethlemius profugâ cum genitrice puer:
Vndique fracta Stygis crepuerunt monſtra, ruenteſq́ue
Obſtupuêre ſuos fana profana DEOS.
Sic totus placidi tremit orcus ab ore puelli!
Quid, quando iratum viderit orcus, aget?

XLIII.

CHRISTVS fune ligatus; ad mortales.

Brachia perplexus conſtringit inermia funis,
Atque iniecta duplex vincla lacertus habet.
Terra timere mei iam deſine fulminis iras,
Nulla queo vinctâ ſtringere tela manu.

XLIV.

IESVS infantulus, in ſinu Beatiſſimæ Virginis.

Hunc ego ſæpe ſuâ poſcebam à matre puellum,
Quem mea complexu ſtringeret vlna ſuo.
Sed mater toties orata negauit; & illum

A solito auelli noluit illa sinu.
Hanc quoque sæpe suâ poscebam à prole parentem,
Acciderem charos cuius ego ante pedes.
Sed proles toties orata, tenacius hæsit,
Et sine se Matrem noluit esse suam.
Quid faciam? Negat hæc puerum; negat iste parentem,
Nec vult alteruter se dare; vterq; dabit.
Nam matri eripiam puerũ; materq; sequêris:
Vel matrem eripiam; sponte sequêre puer.

XLV.

De Imagine Beatissimæ Virginis, filium sinu gestantis.

Quisquis es, absq; meo qui me vis pingere nato,
Me sine me potius pinge, dolebo minùs.

XLVI.

S. Sabbas, lacrimis fontem eliciens.

Dum negat impoto Iuueni lux tertia potum,
Et metuunt quartam torrida labra diem,
Iam pallere color, iam victa occumbere vires,
Et nullus vitæ cœperat esse vigor:
Nec nisi lucus erat circùm, & plaga inhospita circùm,
Inq; illâ Sabbas, & comes ille plagâ.
Institit hîc fontem sitienti quærere Sabbas,

Quæ-

Quæsiti nusquam copia fontis erat. (dem,
Quæsijt humenti stagnantem in valle palu-
Stagnabat nullis vallibus vlla palus.
Vertit ad aërias postremò lumina nubes,
Nulla in ijs signum nubibus vnda dabat.
Fleuit: & è lapsâ salierunt flumina guttâ,
Nescieras fontem tam propè, Sabba, tuũ.

XLVII.

Ad Beatissimam Virginem in tabulâ depi-
ctam, & cælitibus, pueroque
IESV cinctam.

Virgo, tuas circum placidè considere plantas
AEtherium famulo cum grege cernis he-
rum.
Ergo tuum bissena, licèt, caput astra coronẽt:
Cingunt serta tuos nobiliora pedes.

XLVIII.

S. THECLA, Virg. Mart. inter
feras picta.

Tuta feras inter iam pictas viuit imago;
Vixi inter veras olim ego tuta feras.

XLIX.

B. MAGDALENA, ad Cru-
cem procumbens.

Magdalis vt fixo moribundũ in stipite vidit,
Quod quondã Assyrio lauerat imbre caput;
Et validis penetrata pedum vestigia clauis,

Perq; decussatas brachia tensa trabes;
Stipite penderent humili si brachia, dixit;
Ferrem ego nunc palmis oscula, Christe, tuis.
Scala foret; peterem terebrati pectoris antrum.
Ablueremq; meis vulnus hians lacrimis.
Stãs ego mulcerem madidis duo genua labellis;
Nunc possum extremos prẽdere flexa pedes.
Malo pedes, ah malo pedes! pars corporis ista
Iam didicit lacrimis ima fauere meis.

L.

S. KVNEGVNDA, inter ignes illæsa.

Testatura viro saluum Kunegunda pudorem,
In candente libens vomere fecit iter.
Exploratorem sed vbi pede contigit ignem,
Non fuit in plantâ sensus; in igne fuit.

LI.

APOLLONIVS Anachoreta.

Nil aderat, nisi turba frequens, & plurima silua
Robora; & in siluâ nil nisi multa fames.
Solus in hac silua, turbáque, faméque Sacerdos
Magnanimâ turbam voce faméмque stitit.

Quip-

Qui manus cœlo cùm tenderet, illa iubetur
Quaslibet esuriens poscere turba dapes.
Ille volema petit Syrio dependula ramo;
Auditusq; statim poma volema videt.
Mala alius raro sibi munere Persica poscit,
Persica confestim mala cupita capit.
Hic sibi vina rogat Campano Massica prælo,
Campanóque bibit Massica vina cado.
Hic niueos optat, molliq; siligine panes,
Continuò optanti missa siligo fuit.
Pæstani placeant violaria naribus horti;
Dentibus hæc potuit silua placere magis.

LII.

In imaginem B. AGATHAE.

Alternus viden' vt grassetur in vbera tortor,
Carnificésq; ferat secta papilla manus?
Nec fluat humor adhuc! Dubitat natura, mamillas
Candidus has deceat, purpureusne liquor.

LIII.

De fœdere inter cœlum terramque icto.

Discordes animos cœlumq; solumq; gerebant,
Et nulla audita mentio pacis erat.
Fœdera sed pòst quàm dare mutua venerat ales;

Terra suam caussam dixit, & Astra suam.
Quippe pater terris, & mater defuit Astris,
Res vtrisq; pari iure cupita locis.
Lis decisa fuit; coïerunt fœdera. Nostris
Iussa nouum Terris Astra dedêre patrem.
Astris Terra nouam pacta est dare libera matrem;
Sic coiêre lucro fœdera penè pari.

LIV.

De S. CATHARINA Senensi, spinis coronata.

Spinoso Catharina sibi cùm tempora serto,
Et vepribus septum cerneret esse caput:
Cingite, crudeles mea, dixit, tempora, vepres.
Non mea serta mihi, sed tua, Christe, dolent.

LV.

S. GVTHLACVS, ex Rege Anachoreta.

Patria regalis, Guthlace, palatia tecti,
Et Quicquid rerum, quicquid opumq; fuit,
Ipsa Semiramij fastigia deniq; fastûs
Diceris æquoreæ posthabuisse casæ.
Scilicet obsessam pelagi spumantibus vndis
Esse tibi censes regia tecta petram.
Hîc in pane dapes; hîc potum quæris in vndâ,

(Quan-

(Quanto erat in veteri lautior esca domo!)
Squamigeros alto tamen vndiq; ab æquore pisces,
Pennigerosq; vides pransus adesse greges.
Accinit ista tuæ turba inter prandia mensæ,
Adnatat ad placidos illa caterua pedes.
Nempe tuæ cupiunt mensæ nunc esse ministri,
Qui prius esse tuas se meminêre dapes.

LVI.

Ad CHRISTVM Dominum, in ludo spinis coronatum.

Ludit adhuc lictor tua circum tempora, Christe.
Ah! quid aget, quando serius esse volet?

LVII.

NATHANAEL, orci insidijs petitus.

Vt clausi penetrale laris reseraret, & arctas
Panderet eluso Nathanaële fores,
Institit infernus, licèt vsq; occumberet, hostis
Vsq; nouâ cautum fallere fraude senem.
Altera namq; subit, mox altera, & altera in ora,
Ora suis credit congrua siqua dolis.
Hâc pueri in laruam; in laruam hâc subit arte virilem;

Deprensusq́ tamen virq́ puerq́ fugit.
Mox venit vt pistor; mox vt pistoris Agaso;
Et mox quod pistor, mox quod Agaso, facit.
Iamq́ grauem ducens senis ad magalia mulam,
Personatus, opem, mulio clamat, opem:
Mula, ait, ingenti succumbit onusta canistro,
Porge manum; panes fert mea mula tuos.
Audijt orantem Senior; foribusq́ reclusis
Extulerat primo limine penè pedem.
Ora tamen noscens Plutonia, risit; &, emptos
Hos mihi, ait, panes hoc crucis ære volo.
Monstratumq́ manu crucis obijcit indice signum;
Et cruce tota Ceres illa soluta fuit.

LVIII.

De milite ad CHRISTI tumulum excubante.

Vrgeat impositum licèt ossa recondita saxum,
Et tumulum armato sepiat hasta metu:
Ossa tamen fugiunt rupto rediuiua sepulcro,
Et stupet elusas irrita tumba seras.
Et pauidus custos abiectis diffugit armis,
Quemq́ prius tumulum sepserat hasta, timet.

Nunc

Nunc alio surgente times tibi funere, custos?
Plus olim incipies ipse timere TVO.

LIX.

HERACLIDE cruce serpentem fugans.

Ora lauaturus putealibus arida lymphis,
E stagnante senex fonte trahebat aquam.
At pia quò Phlegethon deluderet hospitis ora,
Clam demersa suis imbuit haustra dolis.
Ergo venenatis vbi vasa reduxit ab vndis,
Admouitq; haustris arida labra senex,
Hydria deformes habuit conspecta colubras,
Vt propè nescires Hydria an Hydra foret.
Sensit adesse stygis ludibria sueta; nec ipse
Ludere consuetâ distulit arte stygem.
Nam ductâ cruce signat aquam; cruce percutit Hydram;
Excussoq; bibit vana venena metu.
I nunc, & liquidos, ait, infice vipera fontes;
Quando eris Hydra mihi, claua erit ista tibi.

LX.

De puero IESV duodecenni, inter Beatissimam Virginem & B. IOSEPHVM medio.

Stat puer, & geminum sibi iungit amore parentem,

Et geminus puerum ſtringit amore parens.
Illa tenet dextram pueri; tenet ille ſiniſtram.
Dignus vterq; manu tali & vtroq; manu.
Reſtat adhuc, video, pueri ô pars tertia reſtat!
Nemo pedes prenſat: da mihi, Chriſte, pedes.

LXI.

De Eodem, inter Beatiſſimam Virginem & S. ANNAM medio.

Huc genitrix natum trahit; huc trahit Anna nepotem.
Illa ſibi totum flagitat, illa ſibi.
Ah differ, bone, differ adhuc decidere litem!
Litis ego tantæ tertius Actor ero.

LXI.

IOANNICIVS Eremita, cui menſtruum victum paſtor ferebat.

Arcano ſpelæa loco ſibi legerat exul,
Conſcius arcani nec niſi paſtor erat:
Is nullum exilij pro cauſſa crimen habebat,
Maxima ni crimen cura ſalutis habet.
Multa ibi ſuſpirans, lacrimans ibi multa, dicabat
Sideribuſq; ſuas cælitibuſq; preces.
Aſt vbi ter denas ſolis dedit orbita luces,
Curuauitq; arcus altera luna ſuos,

Men-

Menstrua ieiuno consueuit pabula pastor,
Et venæ pactam ferre fluentis opem.
Hinc auidè Lunã ieiunus, & Astra videbat:
Longa fames illum fecerat Astrologum.

LXIII.

De S. CAECILIA, tribus vulneribus sauciata.

Ter tentata meâ fuit in ceruice securis,
Et collo toties indita plaga meo.
Nec veteri nocuêre tamẽ tria vulnera formæ,
Magna sed in plagis lucra fuêre tribus.
Nam quo sueta prius fulsêre monilia collo;
Nunc tria purpurei flumina fontis eunt.
Illa nimis paucas habuêre monilia gemmas,
Hoc quota fonte cadit guttula, gemma cadit.

LXIV.

De Cælite iuxta B. CAECILIAM picto.

Dum digitis pangit Virgo modulantibus odam,
Nobile diuinus plectit ephebus ebur.
Virginis ille modos cantando vincere certat,
Certat & istius vincere Virgo modos.
Pergite vterq; diu contendere, pergite: vestri
Dummodo ego cantûs arbiter esse queam.

LXV.

Anachoreta ANONYMVS, iracundiæ medicinam quærens.

Cùm toties animi Therapeutes ferueret irâ,
Inceptis quoties turba molesta foret:
Sæpe sibi legem Spartano more ferebat,
Qualiacunq; forent ferre, tacere, pati.
Mox tamen ac rediÿt noua lux, noua bulliÿt ira,
Et mens Spartani nescia moris erat.
Ne quapropter iterum violentior ira subiret,
Clam deserta volens fugit in antra Senex.
Tandem, ait, (ad strepera dum murmura considet vnda)
Exulat hinc ira turba ministra meæ.
Dixit, & immergens sitientem in flumine testam,
Fregit ad occultam vasa caduca petram.
Impatiensq; petræ succensuit; & Superi! inquit,
Hic etiam petra est ista molesta mihi.
Ergo itidem hinc fugiam turbamq; petramq;. Quid erras?
Non tibi turba tibi tu fugiendus eras.

LXVI.

De flagellis, à milite in tergum CHRISTI intentis.

Picta

Picta quòd elatis stringuntur lora lacertis,
Libratisquè instant pendula flagra minis:
Nullo terga tamen violant innoxia tactu;
Criminis ipsa sui diriguêre metu.

LXVII.

CHRISTI corpus, in maternis brachijs depositum.

Eheu flebile munus! imperatos
Crudeles oculi parate fletus.
Defecta cubat in sinu parentis
Formâ lugubre decolore pondus.
Squallenti coma pectitur vepreto,
Et sparsus faciem cruentat humor.
Languent ora, labat supina ceruix,
Et tuber laceros renudat artus,
Fossi vulnera pectoris fatiscunt;
Diro est dextera sauciata ferro,
Ferro saucia laua; & efferatis
Stant vestigia perforata clauis.
Qui sicco potes hæc videre vultu,
Sicco cernere nil merêre vultu.

LXVIII.

De Senis Anachoretæ ridiculo consilio.

Fictilis ex humili pendebat fornice trulla,
Cui sua consuêrat credere mella senex.
Illa fami cænas, & prandia suêta parabat,

Lautitiasq; siti quaslibet illa dabat.
Nec tamen hoc victu consumpta erat olla diurno,
Multa sed in lucro copia mellis erat.
Ergo sibi locuples temerè dum creditur, istæc
Vendita quantum, inquit, mî dabit olla lucrum?
Fætam diues emam conflato ex ære bidentem;
Fæta bidens totum mî dabit vna gregem.
Inde boues, & tota boum inde armenta dabuntur;
Inde domus; magna deniq; verna domûs.
Qui si verna dolis fuerit vernilibus: illi
Sic vernile meo fuste dolabo caput.
Elatoq; Senex baculo ferit inscius ollam;
Pertusoq; cadit mel simul omne cado.
Elicuit Moses duplici sibi verbere lymphas;
Elicit hic vno verbere mella sibi.

LXIX.

Ad CHRISTVM, felle potatum.

Christe, rogas gelidam labris arentibus vndam;
Sed datur imbutum fellis acore merum.
Barbara si vitæ nolebas parcere turba,
Cur saltem extremam non miserâre sitim?
Perge tamen: potus madeat licèt omnis Aceto,
Fiet

Fiet in Ambrosio melleus ore liquor.

LXX.

Ad Eundem, in cœlum redeuntem.

Astra per immensos quæris tibi, Christe, recessus:
Sic humus ergo oculis sorduit ista tuis?
Scilicet Astra placent! Aderunt, si manseris, Astra,
Nam, quocunque loco manseris, Astra facis.

LXXI.

S. EPIPHANIVS Phœnix, aquæ fontem effodiens.

Horrida per nemorum, per & inuia & auia Phœnix
In sterilem demum venerat hospes agrum:
Nusquam ibi per valles currebant flumina; nusquam
In vacuâ felix herba virebat humo.
Vidit eam, miseratus, humum; raptaque bipenni
Currere iussit aquam; iussa cucurrit aqua.
Iussit in indocili noua nasci germina prato,
Germina in indocili nata fuêre solo.

Expo-

Exſpectabat adhuc plaga barbara; ſiqua iuberet
Fundere plura ſinu; fuſaq́ plura forent.
Noluit ille dari ſibi plura; ſed omnia fuſis
Hinc mihi ſunt herbis, hinc data, dixit, aquis.
Hunc potuit vilis locupletem reddere lympha;
Optima nos inopes reddere vina ſolent.

LXXII.

De imagine S. CAROLI Borromæi.

Carolus hos oculos, hæc Carolus ora ferebat,
Aſſiduas faceret cùm pia lingua preces.
Cùm ſacra mortali fulgerent tempora mitrâ,
Et patrio ſtaret purpura nixa pedo.
Nunc alios vultus gerit, altera Carolus ora,
Carolus ætherio pulcrior in ſolio:
At nondum, ô Superi, vobis ea pingimus ora;
Noſtra nihil veſtri Terra coloris habet.

LXXIII.

De IOANNE Patritio, qui Beatiſſimam Virginem ex aſſe hæredem fecit: Ad Illuſtriſſimum HENRICVM Principem, Templi Mariani conditorem.

Patritios cenſus, auriq́ talenta rubentis,
Crœſeaſq́ pius Ciuis habebat opes:

Sed

Sed spes nulla viro natorum, nulla nepotum,
Quos patrij hæredes scriberet assis, erat.
Versus ad Astra proin sterili cum coniuge; Gazis
Monstrate hæredem, vos, ait, Astra, meis.
Monstrârunt hinc Astra Petrum, Petri inde gemellum,
Cælituumq; alios inde, aliosq; duces.
Ante alios etiam magni monstrata Tonãtis
Mater erat, solo Virgo Tonante minor.
Ciuis & hos vbi vidit, & hos, Hîc, inquit, haberi
Quilibet ære meo dignus & Asse potest.
Tu tamen, ô Virgo, Superis ex omnibus, hæres
Dignior istarum sola videris opum.
Tantùm ostende locum, cupias vbi Templa locari;
AEre meo fieri Templa iubebo tibi.
Hoc, ait illa, loco; quo, dum polus arserit æstu,
Videris hibernas manè iacere niues.
Vidit; & educto magna ad fastigia Templo,
Esse sibi hæredem Virginem ab Asse iubet.
Nunc tua, Magne, parem, Princeps, in Virginis ædem
Dextra suas fudit, non numerauit opes.

Ergo

Ergo quid hæredes putat hic sibi viuere nullos?
Hæredem exempli te videt esse sui.

LXXIV.

S. ATHANASII innocentia, mirabiliter ostensa.

Hic erat ille locis exclusus ab omnibus Exul,
In quem iurati mundus & orcus erant.
Cui pòst quàm pars nulla fuit super orbis in orbe,
Præbuit occultos tumba paterna lares.
Vna viri prohibet subscribere syllaba nomen,
Quâ modicè Graio distat ab Athanato.
Athanatus tantisper erit. Quem teste nefandus
Insontem studuit perdere ciuis anu.
Hunc ea dum falso traducit adultera probro,
Ereptiq; reum vana pudoris agit:
Criminis auctorem digito monstrare iubetur,
(Nulla vnquam digiti tam bona culpa fuit.)
Stabat enim Athanato quidam omnia & omnia dispar,
Quã dispar Thanato vixerat Athanatos.
Hunc anus intento digiti indice monstrat: &, hic est,

Hic

Hic violentus, ait, prædo pudoris, hic est.
In latus hæc dixit mulier conuersa sinistrũ,
Ad dextram adstaret cùm latus Athanatus.
Risit hic; &, caussam nihil est opus, inquit, vt orem;
Hoc mea patrono caussa eguit digito.

LXXV.

De imagine S. MATTHAEI, Euangelium scribentis; alato cælite iuxtim adpicto.

Seria in albenti Matthæus scribere charta,
Mansuroq́ parat tradere magna libro.
Non procul alati species expectat Ephebi,
Inq́ manu nigri vasa liquoris habet.
Sola caret pennâ Matthæi dextra: sed adstat
Aliger; hinc pennam Scriptor habere potest.

LXXVI.

S. BAPTISTA in tabella.

Adstantem digitos intendis mutus in Agnum:
Non poteras clamans dicere plura mihi.

LXXVI.

De S. HIERONYMI lacrimis & fame.

Illyrici viden' vt longæuus Dalmata cæli
Verberet impacta pectora nuda manu!

Seu

Seu grauis affusas illi sitis imperet vndas,
Siue fames positas suadeat vlla dapes;
Ille famem pergit lacrimis restinguere fusis;
Ille grauem viuo diluit imbre sitim.
Ecce, tenet lapidem compresso dextera pugno,
Iratusq; notat liuida membra silex.
Et flagra fessa iacent; tergoq; iterata minantur,
Arcanusq; gemit muta per ora dolor.
Et tamen illud adhuc veniunt Sirenes in antrum,
Bethlemiumq; subit maxima Roma specum.
Ipsa Venus Venerisq; venit lasciua propago,
Nec Silicem visum, nec flagra visa timet.
Perge ferire; Venus si visa timere recusat
Flagra; flagro certè tacta timere volet.

LXXVIII.

De CHRISTO duodenni puerulo, docente.

Cecropiæ vestros seruate Platonas Athenæ;
Nomina Socraticæ magna tacete scholæ;
Vosq; Stagirei cessate docere Nepotes,
Nos potuit paruus plura docere puer.

LXXIX.

S. BAPTISTA puerulo CHRISTO pomum offerens.

Viliæ

Vilia dona puer blandiſsime tolle; ſat illa
Contactu facies tu precioſa tuo.

LXXX.

S. AEGIDIVS à Cerua paſtus.

Antrum erat, obſcuræ longè domus auia ſil-
uæ,
Nulla vbi nec farris ſpes, neque frugis erat.
Huc ſeu defectas premeret ſitis arida fauces,
Seu grauis AEgidio pergeret eſſe fames;
Vbere diſtento veniebat cerua, datoq́;
Lacte famem ſueuit pellere, lacte ſitim.
Hæc dum fortè petit reparando paſcua lacti,
Fertur in impaſtos territa cerua canes.
Continuò clamare Viri, latrare Moloſsi,
Inq́; feram dentes, inq́; feram ire pedes.
Quos peterent deprenſa feræ veſtigia montes?
Spes profugæ in nullis montibus vlla foret.
Abderet in dumos ingentia tergora? dumi
Deprenſæ fierent certa Macella feræ.
AEgidium petit ergo. Fugæ nuſquam aptior
vſquam
Vllus erat ceruæ creditus eſſe locus.
Venit, & ante pedes ſeruata quieuit alum-
nos,
Securoq́; ipſos terruit ore canes.
Nulla operam nutrix felicius vlla locauit:
Lac dedit; & lacti vita repenſa fuit.

LXXXI.

LXXXI.

VOX AVARI moribundi ad hæredes.

Momentum vixi; morior victurus: & illuc
Solus, nescio quò, non rediturus eo.
Nunc hæres, quicunque meæ successerit arcæ,
Hæredem ille meæ se sciat esse viæ.

LXXXII.

In Caluam mortualem, in charta depictam.

Ossa patent; geminique oculis extorribus orbes,
Ruptaq; conuulsi septa molaris hiant.
Cæsaries nusquam est: vacat area depilis; & quæ
Vultu inerat nuper plurima, nulla caro est.
Auribus auris abest: vacuoq; sub aggere, fractus
Ossea pro naso mænia nasus habet.
Quisquis es, hanc huius licèt oderis icona monstri,
Archetypon monstri tu tamen huius eris.

LXXXIII.

MARTIVS Anachoreta, fæminarum conspectum fugiens.

Campanis vagus ibat in viretis
Cultor Martius & cliens Tonantis:

Qui

Qui noctes vigil, & vigil diurnas
Largis fletibus exigebat horas.
Et curis simul omnibus, profanâ
Sirenum fugiebat à caterua.
Hinc ipsi neque fæminas; neque ipsum
Vllis cernere fæminis licebat.
Quod Siren vbi resciit, puellis
Vna ex omnibus impudica Siren,
Hunc verò, hunc ego Martium videbo,
Rumpatur, licèt, hunc, ait, videbo.
Confestim mulier per impeditas
Cliuorum salebras viam capessens
Incessu temerario cupiti
Ad magalia Martij propinquat:
Et quæren hominem videre, vidit.
Sed vix viderat illum; & ecce in illo
Iussa est illicet interire viso.
Vna est fæmina, quæ videns periuit:
Sed quot fæmina visa iam peremit?

LXXXIV.

In tabulam hominis inter inferos depicti.

AEmula Lethæi color exhibet ora camini;
Visa proinde sibi seq; tabella timet.
Ora flagrant, patulóque horrent informia rictu,
Et penè in mutâ clamor inest tabulâ.

Ah,

Ah, quas flamma edet quondam phlegethontia voces?
Si picta has voces edere flamma iubes?
Iunge tuam tabulæ clamanti, quisquis es, aurem:
Ipsa sibi clamat, VAE; tibi verò, CAVE.

LXXXV.

In tabulam hominis inter purgatorios ignes depicti.

Iugis in ambusto cunctatur lacrima vultu,
Carnificemq; timet tangere gutta rogum.
Aspice tu flammis hunc circumstantibus imbrem,
Et lacrimas nostris imbribus adde tuas.
Non satis est vnus contra hæc incendia riuus,
Iunge tuum; his auctis indiget ignis aquis.

LXXXVI.

S. MARTINIANVS, fæminæ consortium per æquor effugiens.

Igne semel Veneris iam penè crematus, eodem
Degeret vt porrò tutus ab igne Senex;
AEquoream petijt nautâ cum remige rupẽ,
Siluæ vbi nullius bacca vel vmbra fuit.
Nulla ibi nec Cereris, nec veris copia; fructus
Sola

Sola ſuos illic parturiebat hiems.
Defuit ipſa loco ſalientis gratia lymphæ,
Inq; vndis nullum repperit vnda locum.
Ergo laboranti comes & rerum omniũ egenti
Nauta ſtatam pacto lintre ſpopondit opem.
Nam, ter vbi reuehetur, ait, tibi Luna, vehetur
Lintre meo toties vnda Cereſq; tibi.
Hac ope gauiſus, nullas ſibi porrò timendas
In medijs flammas eſſe putabat aquis.
Ecce tibi! ſurgunt luctantibus æquora ventis,
Euerſæq; ruunt in maris ima rates.
Vna ſimul rapit vnda ſenes; omneſq; vorago
Vna ſimul pueros haurit, & vna viros.
Sola viros inter, deq; omni clade virorum
Enatat è victo ſalua puella mari.
Illa procul ſcopulum rabidis vbi vidit in vndis,
Et ſcopuli in canâ rupe ſedere ſenem:
Remigio manuum, tunicaq; natante patronã
Certatim petijt iam propè merſa petram.
Vidit adeſſe Senex; notæq; pericula flammæ
Vt fugeret, medium per mare fecit iter.
Illa, quid, oro, times in inermi Virgine? Saluis
Incutiam nullos naufraga Virgo metus.
Ille ſecus, ſi Virgo, inquit, nulli vlla noceres,

Non tot mersisses vna puella viros.

LXXXVII.

In tabulam hominis, inter cælites depicti.

Cælicolis oculos hos esse tabella putauit:
Sed quàm longè alij cælitum erunt oculi?
O oculos æquare color si posset eosdem!
Aspectu fieret charta beata suo.

LXXXVIII.

De S. PAVLLA Romana.

Desereret dominæ cùm Paulla palatia Romæ,
Ausa Palæstinas fæmina malle casas:
Contemni mirata suos est Roma penates,
Exteraq; à Paulli mœnia nepte peti.
Exilium tibi quæris, ait. Sed fall[illegible]: Exul
Esse putabatur fæmina; Roma fuit.

LXXXIX.

S. MONICA, filium Augustinum deplorans.

Illa ego sum Libyco genitrix à littore prolem
Ad Ligurum fines vsq; secuta meam.
Traxit amore sui soboles quæsita parentem;
Ah qualis soboles tunc mea visa mihi?
Indiderat mores diuersos error ab illis,
Quos olim didicit me genitrice puer.
Sæpe, quid vsq; adeò, clamabã, degener erras?
Degeneri gratus tunc tamen error erat.

Sæpe preces illi miseranda manusq; tetendi;
Ille manus semper reppulit, ille preces.
Desperata mihi poteram tunc penè videri,
Et cum defunctâ prole perisse parens;
Ambrosii sperare piâ nisi voce iuberer;
Cui toties vni tam grauis vna fui.
Ah quoties, serua mihi perdita pignora, dixi!
Ah quoties dixi, pignora redde mihi!
Dixerat ille diu; mihi se mea pignora nunquam
Nec rapuisse suâ, nec dare posse manu.
Denique victus; abi, sobolem, quam quæris, habebis;
Tot lacri[illegible] illam viuere cogis, ait.
Credidi: &, ecce, mihi proles mutata reuixit,
Atque ipsâ melior me genitrice fuit.
Iam pariant vteris aliæ sua pignora matres:
Pignora dum lacrimis sint ita parta meis.

XC.

In imaginem CHRISTI pueruli, matri valedicentis, & à IOSEPHO ad opus auocati.

Matutina simul micuerunt sidera, Natum
Ad fabrile pater sedulus vrget opus.
Ah satis est! alios puero addere parce labores,
Maximus est, Matrem deseruisse, labor.

XCI.

De Eodem, ad mensam precante.

Virgo faberq́ capit modicæ dū fercula mensæ,
Christe, præis solitas ore manuq́ preces.
Iam viles epulas licèt ipsa culina ministret,
Hac fieri in mensa nobilis esca potest.

XCII.

Ad Eundem, segmenta conuertentem.

Cædua cur verris plebeÿ fragmina ligni?
Non sunt ista crucis segmina, Christe, tuæ.
Nobiliora cadent ex illo fragmina trunco,
Illa volet nemo verrere, ferre volet.

XCIII.

De Eodem dormiente; & Beatissima Virgine iuxta vigilante.

Dormit in angusto Soboles secura grabato,
Tu tamen excubias anxia Mater agis.
An metuis, furtim sua ne reuocetur ad Astra?
Te vigili, Astra tuus iam sua natus habet.

XCIV.

B. IGNATIVS, morborum cælestis Medicus.

Extento pede saucius paratum
Iam Loiola ruebat in sepulcrum;
Cùm Petri manus improbam remouit

As-

Asserto procul à cliente parcam.
Quare æger simul ac reuixit, ægros
Secum surgere iussit; hinc malarum
Magnos cedere febrium calores;
Hinc cæcas oculis abire noctes;
Cancros serpere, liuidasq; tabo
Lethali vetuit nocere pestes.
Quid morbus docuit? iuberet ægros
Nullos surgere, ni fuisset æger.

XCV.

CONRADVS Franciscanus, Beatissimæ Virginis Alumnus.

Præuia Francisci dum per vestigia nitens
Ardua Conradus quærit ad Astra viam,
Munus ab Astrorum reginâ tale poposcit,
Quale Palæstini strinxerat vlna senis.
Nec mora; Mater adest Eois clarior Astris,
Clarior atq; ipsa Matre puellus adest.
Tende duas, Conrade, manus; cape munera, dixit,
Et mea sollicito munera conde sinu.
Ille manus, simul ille sinus, simul omnia tendit;
Nunquam aliàs domino promptior vlna fuit.
Tunc pueri tractare manus, tunc ora tueri,
Tunc Superis licuit basia ferre genis.

Tunc prenſare genu, tũc brachia nectere collo,
Terrarum dominos tunc religare pedes.
Non capit ipſe ſui Conradus gaudia voti,
Miraturq; vlnis tanta licere ſuis.
Et potes hanc, ô Mater, ait, dimittere prolem?
Et potes à tali cedere Matre puer?
Hoc mirum, Conrade, tibi eſt? Mihi mirius hoc eſt,
Quòd puerum matri tu redhibere potes.

XCVI.

In oculos cœlo d fixos.

Stant Oculi, & fixo ſpectant ſublimia nutu,
Neſcio quid noſtro pulchrius orbe vident?
Pergite, quicquid id eſt, ſpectare, ô pergite, ſurſum:
Terra nihil pulchri, quod videatis, habet.

XCVII.

De Viatore Hierichuntino, à prætereuntibus deſtituto.

Ambulat incauto dum per loca deuia paſſu,
Fertur in hoſtiles inſcius erro globos:
Hi captum ſternuntq; ſolo, crebriſq; laceſſunt
Tuberibuſq; caput, vulneribuſq; latus.
Ille ſed exanimi miſerandus voce laborat
Inclamare piam prætereuntis opem.
Audijt hinc myſtes clamantem, hinc aſſecla myſtæ;

Auxi-

Auxiliaturos hos ratus æger erat (quid.
Verùm myſta fugit; myſtæ fugit aſſecla: Quic-
Latro facit ſicâ, fecit vterq; fugâ.

XCVIII.

De Eodem, Samaritæ ope adiuto.

Semianimũ vidit Samarita iacere cadauer,
Feſtinamq; tulit, quam dare quiuit, opem.
Nam pòſt quàm ingentes plagarum aduertit hiatus,
Admouit medicâ ſedulus arte manus.
Excepitq; ſinu, leniq; perunxit oliuo,
Et calido fouit vulnera lota mero.
Mox vbi manantes repreſsit ſindone riuos,
Membra laboratis intulit ægra toris.
I leuis, æger ait, meq; aſpernare ſacerdos;
Profuit auxilio nunc caruiſse tuo.

XCIX.

B. NICOLAVS Heluetius.

Nicoleos inter patria Acroceraunia, quondã
Durior ipſe ſuis rupibus hoſpes erat.
Nam tepidis rupes paſtæ ſunt imbribus illæ,
Et gelido potæ rore aliquando petræ.
Ipſe tamen ſolus mortales abnuit eſcas,
Et quaſcunq; dares, abnuit ille tamen.
Quattuor vſq; fuit vita illi abſtemia luſtris:
Nullaq; tot luſtris cognita menſa fuit.
Prandia nulli illum viderunt quærere Soles,

Nulla illum ſeram paſcere Luna famem.
Aſtra dedere dapem ieiunis faucibus. Iſto
Contentus, dices, viuerem & ipſe penu.
Interea lacrymis idem fuit ebrius. Iſto
Tu quoque contentus viuere fonte potes?

C.

VENERIVS Eremicola, à Coruo dimenſum diurnum accepit.

Collectam ſtagnare vides ex imbribus vndam;
Hoſpitis hæc huius temperat vnda ſitim.
Noli illum Creſſæ tentare liquoribus Vuæ,
Irritare nequis nectare, melle nequis.
Si qua ſitis torret, vocat ille è nubibus imbrem:
(Neſcio quid Cœli gratius imber habet?)
Lautitias inter maiores Herba putatur;
Et rude cenſetur Menſa ſecunda pyrum.
Solus ei portat Coquus omnia fercula Coruus,
Omniaq; è ſolo fercula pane coquit.
Aduolat hic illi, cùm cœnæ eſt hora miniſter,
Allatoq; iubet pane domare famem.
Nullus, ais, tendit cur noſtra ad prandia Coruus?
Ille alias illuc tendere cernit Aues.

CI.

B. MAGDALENA, in obſcuro ſpecu del.teſcens.

Quid me ſaxa loci tenebroſi ſquallida? quid me
Conſcia nullius luminis antra iuuent?
Quærere mortales abſiſtite. Sidera quæro:
Spectari ſolâ ſidera nocte queunt.

CII.

De tribus Anachoretis; liberalibus duobus, vno præparco.

Intima tergemini nemorum coluêre Sodales,
Mica quibus panis vix ſuper vna fuit.
Iam vicina penu metuente premebat egeſtas,
Cùm neq; cogendæ ſpes ſtipis vlla foret.
Vtq; magis ſuperare penum penuria poſſet,
Eſt ea mendicæ mica petita fami.
Continuò Cereris data micula ceſſit egenti;
Stipſq; ea ſecum omnem ſuſtulit vna penum.
At querulas verbis ſtomachantibus edere voces
Clam ſocijs auſus de tribus vnus erat.
Vix tamen impenſo cum pane receſſerat hoſpes,
Vbere quando Ceres pane repenſa fuit.
Mula duos etenim tulit altera & altera Corbes,

Et fuit in gemino plurima corbe Ceres.
Tertia quin etiam vectura erat, inquit Agaso
Ferre sed impositum fessa nequibat onus.
Tertius è socijs, sua plecti hîc murmura sensit;
Mula tulit panes certè, ait, illa meos.
Cauta famem metuit Mula; inde venire negauit:
Nam parcum in dando te scijt esse cibo.

CLI.

De Conuiua Euangelico, à Nuptijs eiecto.

Ambrosias hospes peteret cùm sordidus escas,
Nec laceram ferret regia mensa togam,
Iussus ab intactâ procul est abscedere cœnâ,
Perpetuamq; intra viscera ferre famem.
Insuper æternâ septas caligine noctes,
Tectaq; sulphureas inter habere domos.
Vtraq; res doluit, quòd & incœnatus abire,
Et quòd in ardentem est iussus abire rogum.
Has tamen vt cœpit pœnas contendere; dixit:
Non dolet ista mihi flamma, repulsa dolet.

CLV.

Helenvs, famem insperato subsidio depellens.

Incultos Helenus penetrauerat aduena lucos,
Nullum vbi mortales vlli habuêre domũ.

Vix

Vix calcata feris ibi semita: sola per illos
Aërium lucos ala secabat iter.
Nulla loco speranda dapum solatia; nullum
Pensile frugiferis pondus in Arboribus.
Hîc Heleno insultare Fames; hîc arida mortem,
Aut aliquid grauius morte parare Sitis.
Sed delusa Fames inopino munere sensit
Fercula ab ignotâ lata venire manu.
Illa fami non nota manus vel venit ab Astris,
Vel manus æquè Astris illa benigna fuit.
Quippe simul panem tulit, & simul attulit vndam;
O panem! ô vndam, quã manus illa tulit!
Vina dares, vinum præ tali sperneret vndâ:
Ambrosiamq́; dares, sperneret Ambrosiam.
Ergo Fames, piget huic porrò, inquit, tollere panem,
Compensant tantæ si mea furta dapes.

CV

BB. IGNATIVS & XAVERIVS, iuxta sphæram Geometricam depicti.

Europam tenuit Loiola, Xauerius Indos,
Et duo sub Socijs regna duobus erant.
Cur extra Terrã nunc ergo locantur vtrãq́;?

Orbis vterq; Viro paruus vtriq; fuit.

CVI.

De SENE, eiusque mirabili victu.

Obscuri nemoris longæuus cultor amabat
Præ quocunq; suum Sole dieq; nemus.
Cæsaries & barba Seni nix candida: sed mens
Candidior barbâ cæsarieq; fuit
Ille casam quoties pietate flagrante subiuit,
Repperit in paruo candida liba penu.
At pietas cœpit cùm fessa tepere, farinæ
Deterioris ei cœpit adesse Ceres.
Demum vbi vecordem labefecit culpa senectam,
Omnia furfurei fragmina panis erant.
Aduertens mutata Senex alimenta, suasq;
Primæui toties panis abesse niues:
Et versum magis atque magis nigrescere panem,
Nigror, ait, mores exhibet iste meos.
Credideram panem me cernere semper: in ipso
Nunc video speculum pane fuisse mihi.

CVII.

De Voto infelici IEPHTHAE GALADITAE.

Elatos patriæ quondam ducturus in hostes
Has Superis fecit Dux Galadita preces:
Vi-

Victori patrijs qui primus ab ædibus ibit
Obuius; ille DEO *victima primus erit.*
Nec mora; signatis sociûm rapit agmina votis,
Ammonisq; minas vindice Marte domat.
Victor vbi redijt, datur obuia prima parenti
Filia: Iam victus maluit esse parens.

CVIII.

S. AVXENTIVS, rupis inquilinus.

Sublimi quem rupe vides, Auxentius ille est,
Quem suus alta inter nubila carcer habet.
Ille peregrinis fuit omnibus omnia & hospes,
Et pater; & morbis omnibus Hippocrates.
Quippe oculis olim offusâ caligine septis
Iussit ab offusâ nocte redire diem.
Iussa dies redijt; iussæq; abiêre tenebræ,
Et data lux, melior luce priore, fuit.
Ille luem iussit, febrimq; recedere; cessit:
Ille valere pedes; conualuêre pedes.
Deniq; cùm Medicus venienti cuilibet esset,
Ipse suæ Medicus noluit esse fami.
Nā, licèt Ars fuerit reliquos depellere morbos,
Hunc tamen Ars, inquit, nō pepulisse, fuit.

CIX.

De Biuio Hominis, per litteram Pythagoricam expresso.

Quà Samij partita Senis se littera pandit,

Hâc humana duplex ſemita pandit iter.
Totum vtriuſq; vocant diuortia tramitis orbem,
Conſitus hic ſpinis ſit licèt, ille roſis.
Quà libet ire, potes: ſed iter modò mollius, olim
Ah quoties ſpinis durius illud erit?

CX.

Epigramma votiuum, ad B. ALOYSIVM, in graui ægritudine.

O tutela meis, Aloyſi, plurima rebus!
O querulas inter magna medela preces!
Cernis vt incluſo meritum caput ardeat æſtu!
Creber vt arcano ſæuiat igne dolor!
Vaſtat vtrinque tenax alterno tempora punctu;
Omnia ceu terebret perpete morbus acu.
Vruntur geminis oculorum ſedibus orbes,
Vixq; hærent vacuo lumina bina ſinu.
Cogitur à pactis Animus diuortere Muſis,
Et nequit aſſuetas ſoluere lingua preces.
Iam calamos poſuêre manus; poſuêre libellos,
Pieriamq; ſitis iam mea neſcit aquam.
Longas eſſe vident vigilantia tædia noctes,
Præq; ipſis longas noctibus eſſe dies.
His quoq; plura fero: nequeo ſed plura referre;
His auferre tamen tu quoq; plura potes.

Ille

Ille quidem non sum, cui dones multa: sed ille
Certè ego sum, cui tu tollere multa queas.

CXI.

De S. APOLLONIA Virg. Mart.

Vt placeant, emptis aliæ se dentibus ornant;
Vt placeam, dentes Christo ego vendo meos.

CXII.

De S. AMATO; cui orcus annonam surripuit.

Tertius impranso consuêrat Vesper Amato
Cum modico vilem ferre liquore dapem.
Nec pactus sibi plura dari: sed & ipsa solebat
Sæpe negare suæ fercula pacta fami.
Inuidit tamen hanc Auceps Phlegethontius escam,
Allatæq; dolos struxit auarus aquæ.
Nam mentita gerens Prædonis schemata Corui,
Inuolat inuisæ peruia tecta casæ.
Vtq; cibi lancem reperit, lymphæq; culullum,
Mox pede vertit aquam, mox rapit vngue cibum.
Lætus eo damno subrisit Amatus; & ecce
Viuere ieiunium Styx, ait, ipsa docet.
Perge licèt, rape, tolle dapem; nihil orce nocebis:
Quando dapem præbes, orce nocere soles.

CXIII.

CXIII.

Ad Beatiſsimam Virginem, turture filium redimentem.

Vix tua dum dederas Solymæo pignora templo,
Illaq; de gremio ceperat Ara tuo,
Cùm tibi mutatis eadem redimenda columbis,
Quæ vix dum dederas, reddere dona iubes.
Reddita confeſtim precio ſunt omnia pacto,
Turtureq; eſt proles tota redempta tibi.
Neſcio quis dederit, ſed quiſquis reddidit illam,
Ah precium mercis neſcijt ille ſuæ.

CXIV.

De tædio mortalis vitæ.

Non ita quaſſa gemunt dubijs Carcheſia ventis,
Non ita Myrtoo fracta carina vado,
Qualiter aſsiduas inter mea vita procellas
Aut gemit; aut gemitus non niſi feſſa premit.
Exanimi iam tota metu ſuperata recumbit,
Deſperatq; ſuæ naufraga vita rati.
Lumina iam tollit viſo procul humida cœlo,
Charaq; lugubri littora voce vocat.
Iãq; preces Superis, & vota natantia ſignat,
Tur-

Turbida ſignatas iam rapit vnda preces.
Altera decesſit nondum vdis lacrima malis,
Altera in humectas cùm ſubit vnda genas.
Triſtitiæ partem pars excipit altera; cuius
Sæpe nequit cauſſam noſcere, ſæpe modum.
Mox gaudere cupit; mox amens gaudia temnit,
Mox, quæcunque priùs ſpreuit, habere cupit.
Sæpe vocat mortem; mortemq́ue audita recuſat;
Et lacrimas, voto ſi potiatur, habet.
Neſcio cur mortem putet hæc ſibi vita timendam;
Ipſa ſibi potiùs vita timenda foret.

CXV.

Ad Annam Prophetidem, in tabula depictam.

Iam Chriſto lacrimaris Anus grandæua puello:
Flere potes viſo iuſtiùs, Anna, Viro.

CXVI.

De Manu, Chriſto colaphum infringente.

Ferrea cùm Dominum pulſaret dextera, ferrum
Quàm cupijt vires non habuiſſe ſuas?

CXVII.

CXVII.

De S. BENNONE, templi claues in vndas abijciente; ad Imperatorem templo arcendum.

In sacra ne rueret vetiti penetralia templi
Per non concessas Cæsaris ira fores,
Proijcit æratas in cærula flumina claues
Visurus Latios aduena Benno lares.
Iussa fidem præstare, fidem optima præstitit vnda,
Et commissa tenax condidit æra sinu.
Custodem sed Benno simul remearat ad Amnem,
Clauiger in fido littore piscis erat.
Abstrusamq; libens vda intra viscera clauē
Bennonis reduces exspuit ante pedes.
Insidias iam terra tuis struat inuida gazis,
Quod seruare voles, mergere, Benno, potes.

CXVIII.

S. PELAGIA pœnitens: ad hominem.

Per mea continuis imber ruit ora fluentis.
Caussas, inquis, habes. Tu quoque forsan habes.

CXIX.

De imagine ALPHONSI RODRIQVES S. I. vbertim lacrimantis.

Alphonsi

Alphonsi lacrimas, & ora crebris
Qui perfusa videtis esse guttis,
Non illas sceleris putate magni,
Nec mentis malè conscia pauentes
Mœstis ex oculis salire testes.
Nam quicquid lacrimauit ille, quicquid
Vel luxit, gemuítue creber, omne
Vni Numinis imputauit Aulæ.
Huc suspiria semper, ora semper,
Semper lumina, lacrimasq́; semper,
Semper vota, precesq́; semper, horis
Pernox perdius omnibus tetendit.
Hâc vnâ sibi cùm videret olim
Annis pluribus exulandum ab Aulâ;
Et nondum neq; gaudijs licere
Immortalibus interesse; nondum
Cæli Ciuibus obuiare: nondum
Victrices neq; Martyrum phalangas,
Felices neq; Virginum cateruas,
Purarum neq; mentium serenas
Sese posse perambulare sedes,
Tunc illos gemitusq; lacrimasq;
Singultusq; profudit; & perosus
Exul viuere, gestijt cupitæ
Ad consortia commigrare vitæ.
Nunc voti reus, vsq; & vsq; gaudet,
Et voti reus, vsq; & vsq; ridet.

Ipsius

Ipſius tamen hæc Imago, dum ſe,
Voti non rea, conſpicit relictam
Cum mortalibus, vſq; & vſq; plorat.

CXX.

Ad Milites impios, à CHRISTO proſtratos.

Turba ſupinato ruis vndiq; territa vultu:
O foret hæc ſceleris maxima pœna tui!

CXXI.

De B. IOSEPHO Anchieta, Auiculis mirabiliter imperante.

Heſperij peterent cùm barbara littora myſtæ,
E Socijs æger pluribus vnus erat.
Ille ſuum externo Phœbeiæ lampadis æſtu,
Internoq; vri queſtus ab igne caput,
Quæſiit in prorâ, ſi quam daret angulus, vmbram;
Nulla ſed in proræ partibus vmbra fuit.
Quæſiit in puppi, nihil vmbræ puppis habebat;
Summa ſed vrebant Solis & ima faces.
His cupiens Ancheta malis ſuccurrere, ſolam
Aëra per medium tendere vidit Auem.
Vidit; &, î ſocias, ait, î citò, quære cohortes,
Aligeraq; redux cum legione veni.

Dicta

Dicta probauit Auis; celeriq; citatior Euro
Cognatum properat quærere iussa gregem.
Milleq; mox socijs comitata reuertitur Alis;
Mille sequi visæ, mille præire ducem.
Mille supra, & totidem iuxtaq; infraq; volabant,
Omnis ad Anchetæ turba vocata preces.
Hæ simul expassis factâ testudine pennis
Desuper in tost is incubuêre rates.
Et procul inde diem, & lucem pepulêre diei,
Dum quæsita ægrum tangeret vmbra caput.
Scilicet hæc fierent vt Conopea repentè,
Ancheta artifices esse coëgit Aues.

CXXII.

In funere CAROLI, optimi Principis.

Carole qui nuper comitatus pluribus ibas,
Cui famulos semper vidimus esse greges.
Cur Superos nunc solus adis? Scio, Carole; Tecum
Nemo pari potuit currere ad Astra gradu.

CXXIII.

S. ANASTASIA, cum libro vacuo depicta.

Quæritis, in vacuo quid spectent lumina libro?

Quic-

Quicquid vbiq; solet Terra videre, vident.

CXXIV.

Ad S. PETRVM, cum gallo gallinacio depictum.

Assiduo cur, Petre, madent tua lumina nimbo?
Omnis abest Oculis culpa. Sed Ales adest.

CXXV.

Ad CHRISTVM, in cunis iam Cruci deuotum.

Dant tibi prima Crucem, puer, incunabula paruam:
Illa sed est humeris magna futura tuis.
Matrem quære puer; crudeles desere cunas,
Esse in Materno Crux nequit vlla sinu.

CXXVI.

S. IACOBVS NISIBENVS, flauos puellarum capillos in canos vertit.

Hic, vbi vicinos timuerunt Mænia Persas,
Mænia præsidio tuta Iacobe tuo,
Marmoreo (vt memorant) putei de Margine quondam
Aemulus Alpinæ bullijt humor Aquæ.
Fortè puella comis ibi multa fluentibus ibat
In malè conditos turba soluta iocos.
Nec Veneres illæ viso senis ore Iacobi

Con-

Continuare suos erubuêre Sales.
Punijt effrontes igitur senis ira puellas,
Et subitas Voto vindice fecit Anus.
Mox venis abiêre leues arentibus vndæ,
Inq; liquore statim desiit esse liquor.
Et nitidi cœpêre repentè senescere crines,
Et vetulas vertex Canus habere Niues,
Quas vt in alterius capite altera & altera vidit,
Horruit à formâ quæq; puella suâ.
Quippe sibi Priami est Nutrice annosior illa
Visa, sibi senior Nestoris illa socru.
Grandæuam Pyrrhæ se credidit vna proneptem;
Effœtam Niobæ credidit vna nurum.
Deniq; præcipitem capitis pertæsa pruinam,
Damnatas texit cana puella comas.
Vidimus à Canis alios albere capillis,
Erubuit Canis sola puella suis.

CXXVII.

Beatissima Virgo, ad Reges mortales.

Vestra meis, Reges, diademata subdite plantis;
Nobiliora meum debet habere caput.

CXXVIII.

De CHRISTI puerùli incunabulis.

Pauperie squallent pueri incunabula: nullas,

In

In gremio Matris dum cubet, optat opes.

CXXIX.

De S. Gregorio Thaumaturgo, lacum in aridam vallem conuertente.

Excierat funesta duos in prælia fratres
De malè diuiso lis agitata lacu.
Squammati pecoris magnos lacus ille fouebat
Pascua versantes inter opima greges.
Sæpe trahebatur discordi è gurgite præda,
Ad non plebeiam præda paranda gulam.
Hinc, quæcunque lacûs pars fratri cesserat, illa
Visa sui fratri pars minor Assis erat.
Ergo omnem sibi quisque lacum deposcere frater,
Inq́; lacu solidum quærere quisq́; lucrum.
Tentauêre quidem componere fœdera multi,
Fœderis impatiens frater vterque fuit.
Iungere Gregorius discordes denique iussus,
Nunquã, ait, hæc fratres vnda coïre sinet.
Vt coëant ergo discordia cordã, rebellis
Vnda priùs toto tota recede loco.
Dixit; & ecce noui res visa simillima mõstri!
Tota statim toto vanuit vnda lacu.
Iamq́; lacus mera vallis erat : iamq́; arida tellus,

Quà

Quà priùs vndoso gurgite plena palus.
Mox stagni patuêre sinus; viridiq; sub aruo
Squamigerum vidit nauta salire pecus.
Nec rate iam voluêre peti, nec arundine pisces,
Insidiante capi sed potuêre manu.
Continuò fratres coiërunt ambo. Coïre
Non potuêre, priùs quàm daret vnda viã.

CXXX.

S. SABINA Martyr, cœlum suspiciens.

Astra quòd erecto Telluri præfero vultus,
Suspice, si caussam noscere, Terra, cupis.

CXXXI.

S. GERTRVDIS Virgo, manibus pectus constringens.

Illecebras, ah Terra, tuas promittere cessa;
Impleuit totos altera gaza sinus.

CXXXII.

AD CHRISTVM puerulum, in tabula depictum, & pomum è mortis arbore decerpentem.

Pullulat è putrido funesta cadauere planta;
Parce puer tenerâ tangere poma manu.
Imò puer propera mala tangere poma: nequibunt
Illa semel dextrâ tacta nocere tuâ.

CXXXIII.

PETRO CANISIO ægrotanti optata auicula capiendam se obtulit.

Cùm Senio Morboq; grauis iam fracta nequiret
Ex humili Petrus membra leuare toro,
Poscere iussus erat si quas pallentia vellent
Non fastidita ora probare dapes.
Et data quæq; forent: seu præda petita fuisset
Fluminis ex vndâ; fluminis vnda daret.
Seu turunda foret; turunda parata fuisset:
Seu mansum peteret; præbita mãsa forent.
Fortè poposcit Auem. Mox omnia quæritur Ales
Per fora; Venalis nulla sed Ales erat.
Desperanda Seni iam cœna erat illa; cupita
Per Vitreas intrò cùm volat illa fores.
Cœna ea Turdus erat, pinguive simillima Turdo,
Aut certè, qualem vouerat æger, erat.
Illa ter, illa quater per inane cubile pererrans
Ambijt humanas cœna futura manus.
Iussa proinde capi; subit ægri capta palatum;
Nusquam alibi Nidum maluit esse sibi.
Vili Petre potes cœnare, vbi sedulus Aër
In tua non emptas fercula mittit Aues.

CXXXIV.

CXXXIV.

S. NICOLAVS Tolentinas, in Crucem intuens.

Fixa licèt spectare Crucem mea lumina pergant,
In Cruce non possunt illa videre Crucem.

CXXXV.

B. IGNATIVS in templo Mariano inter preces peruigilat.

Ante Sacram Loiola studet dum flebilis aram
Peruigiles totâ fundere nocte preces,
Pendula destitui cœptabat fomite Lampas,
Et vacuum Templi nox operire tholum;
Quæsiit ergo diu, exhaustæ Loiola lucernæ
Vnde nouus posset suppeditare latex.
Mox, liquidi siccetur, ait, mihi Lampas oliui;
Hanc meus ex oculis qui fluit Humor alet.

CXXXVI.

Ad IACOBVM BIRVVAM S. I. Oeconomum Religiosum & mirè Sanctum.

Speratam quoties auara messem
Eluso seges horreo negabat,
Aut Vindemia parcior Falerni
Vix vllam dabat Amphoram Lyæi;
Et queuis inopumq; diuitumq;
Mœrebat domus, ac sibi propinquum
Credebat penus imminere fatum:

Tu læto Sociis Iacobe vultu
Victum pluribus vberem ferebas.
Nam te paupere Cella sub Ministro
Cella ex omnibus vna, nesciebat
Nec parcam segetem; nec imminutæ
Permisit Cumulum emori farinæ.
Sed quamuis Cadus his & his abundos
Præberet sitientibus Culullos,
Durauit tamen Amphora, & meracis
Nunquam desiit esse fœta Nimbis.
Cesset Vinea, Vinitorq; cesset,
Cessent Arua, Segesq; cesset: vno
Dum curabitur horreum à Iacobo,
Vltrò Messis in horreum, vltrò in vnam
Est Vindemia transitura Cellam.

CXXXVII.

Imago CHRISTI lacrimantis.

Fundere iam siccæ lacrimas didicêre tabellæ;
Dediscunt artem lumina nostra suam.

CXXXVIII.

Ad Discipulum, noctu à CHRISTO refugientem.

Ne Dominum comitêre, fugis, vestemq; relinquis,
Nudaq; iam solâ corpora nocte tegis.
Sic tectus rubor, inquis, erit. Nil proficis! Ipsa
Sit licèt atra, tuâ iam rubet vmbra fugâ.

CXXXIX.

CXXXIX.

De P. IACOBO REMO S. I. Viro sanctissimo, & defunctorum mirabili patrono.

Hic est ille Senex, Iacobus ille,
Cuius perpetuo rigata fletu
Illa incendia sunt, quibus piandæ
Sub terræ gremio cremantur Vmbræ.
O quantas (simul vt profunda nigro
Nox inuoluere cœpit Astra peplo)
Quantas, ô Superi, subire sensit
Vmbrarum lacrimantium cateruas?
Adstabant foribus, manusq; mutis
Tendebant miserabiles querelis:
Seu votis Superos vocaret ille,
Seu pernox tacitum cubile crebro
Impleret gemitu; genuq; flexo
Subiectæ trabis asserem grauaret;
Seu somno grauis aridos Iacobus
Duro in robore collocaret artus;
Seu quicquid faceret; subibat illa
Vmbrarum lacrimantium caterua;
Et nunc ausa piaculare longis
Absoluenda sacrum rogare flammis:
Nunc ieiunia velle; diluendis
Nunc orare suis flagella culpis:
Nunc exposcere lacrimas, rigando,
Quem terræ in gremio ferebat, igni.

Et quicquid petijsset illa & illa
Vmbrarum lacrimantium caterua,
Oratus dabat impigrè Iacobus:
Et fusis oculi vtriusq; nimbis
Iussos obruit expeditus ignes.
At iam desiit ille lacrimare:
O quos ignibus alteros rigandis
Vmbræ iam poterunt habere nimbos!

CXL.

De Angelis in stabulo visis.

Cælicolas quæ caussa polo discedere iussos
In malè sarta casæ tecta migrare iubet?
Nimirum patria dum filius exulat Aula,
Patria nunc famulos non alit Aula greges.

CXLI.

De S. CHRISTOPHORO.

Limina Christophorus stellatæ viderat Aulæ
Grandior, ad vastam limina parua domū:
Nam breuis angustos arctauit ianua postes,
Proceroq; minor porta Gigante fuit.
Territus ergo, poli caperet me Regia, dixit,
Ianua mensuræ si foret apta meæ.
Vtendū ingenio est: Humero tenus altior ex te,
Perq; humiles ceruix non sinit ire fores:
Ite aliquis, strictoq; caput diuellite ferro;
Corpore transiri porta minore potest.
Ocyus excelsâ caput à ceruice resoluit,

Et

Et minor abiectâ ſidera parte ſubit.
Ingeniũ in magno quid quæris, turba, cerebro?
Plus ſapit abiecto Chriſtophorus cerebro.

CXL I.

De ſtudio Anachoretarum, in corpore affligendo

Bella, quibus crudo multamus terga flagello,
Iratasq; cuti cogimus eſſe manus;
Thebaicis olim bellata fuêre colonis,
Et per Niliacos infremuêre ſpecus.
Nuda alibi ſtimulant ſetoſi pectora villi,
Nudum alibi torquet ferrea zona latus.
Deijcit hunc rigidus centeno pondere thorax,
Vinctaq; crudelis circumit oſſa chalybs.
Vlcerat hic fixis exermia membra vepretis,
Atq; dolet, quoties cauſſa doloris abeſt.
Calcat hic immotis eadem veſtigia plantis,
Stansq; ſolet noctem, ſtansq; fugare diem.
Incubat hic ſaxis; hic hiãtibus excubat antri;
Hibernas inter decubat ille niues.
Iſte ſiti ſua labra; fame hic ſua viſcera torquet:
Hic gelido mergit membra præuſta lacu.
Et tamen emerſis redeunt incendia membris,
Terreat illiſo mox niſi terga flagro.
Quid querimur noſtris? Priſcorum verbera confer,

Esse meros dices seria nostra iocos.

CXLIII.

De S. BENNONE Thaumaturgo.

Si qua Machaonias superarũt vulnera vires,
Vlcera pæoniam si pepulêre manum,
Si nihil exhausto profecit Cosmus aheno,
Si tetram timuit vis medicata luem;
Currite, Benno luem fugat; & leuat vlcera Benno,
Tactaq; gratuitò vulnera Benno iuuat.
Sæpe videt claudos lento subrepere tractu,
Quos iubet erecto mox properare gradu.
Sæpe manum tacito videt intabescere letho,
Oratusq; manum viuere Benno iubet.
Lumina quin etiam longis damnata tenebris
Cogit in amissum Benno redire diem.
Cedere sæpe febres; deliria cedere cogit;
Penè priùs præbet, quàm petat æger, opem.
Ite alij, & precio medicatos vendite succos:
Hunc medicum gratis, quem vocet, æger habet.

CXLIV.

De S. GVILIELMI Metamorphosi.

Heroum pertæsus opes Gulielmus auorum,
In deserta suam transtulit antra domum.
Longus ibi tunicæ cataphracto in tegmine fleuit,

Pur-

Purpureâ quicquid riſerat in tunicâ.
Nam prauincta chalybs illi circundare colla,
Et lorica reum cœpit ahena latus.
Sepſit & hamatus præcordia conſcia thorax,
Et grandi gemuit caſsidis ære caput.
Horrebatq́ pedis deformi tibia nodo,
Et merus in toto corpore carcer erat.
Viuere non piguit tam triſti in carcere? dices:
Neſcio, ſed ſcio, ibi non piguiſſe mori.

CXLV.

De PIORE, etiam ſororis aſpectum refugiente.

Iam longùm abfuerat Pior; oblituſq́ ſuorum,
Nec matris tulerat, nec patris ora Pior:
Abſenti (quid enim non auſit fœmina?) fratri
Deſtinat impenſas cùm Soror ægra preces:
Et, ſimul ægra meum mihi fratrem videro, dixit,
Ægra ſtatim viſo fratre valebo ſoror:
Hic, quid agas, frater? contemnes vota precãtis?
Durior Armeniis eſſe ferêre feris.
Parebis? Veneris tibi viſa recurret imago:
Quæq́ ſemel fuerit viſa, videnda diu eſt.
Ambiguus Pior ergo diu, quò tenderet, hæſit:

Demum ait, hac illam callidus arte petam:
Mox spectanda suæ sic præbuit ora sorori,
Mutua ne quà oculis cerneret ora suis.
Clausit enim geminis oculorum lumina valuis,
Obiectaq; sibi condidit illa manu.
Ne sis Aegra, meos vis, inquit, cernere vultus;
Aeger ego ne sim, nolo videre tuos.

EPIGRAMMATVM
LIBER SECVNDVS,
DEIPARAE
VIRGINVM VIRGINI
SACER.

PROGRAMMA
AD MAGNAM VIRGINEM
DEI MATREM.

VIrgo Parens, geminos Orbis Regina per Orbes,
Et Magna, quāuis Maxima, Prole minor:
Altera Virginibus mihi parta Volumina Musis
Virgineo cupiunt degere tuta sinu.
Prima tuus iam Natus habet: Tu proxima Nato
Mater es: hoc igitur proxima Carmē habe.
Sint Maiora licèt multorū Carmina: Maior
Carminis vllius nulla Patrona fuit.

VIR-

VIRGINVM CHORVS PRIMVS.

I.

Virginitas oſtentis comprobata.

SEV temerata neget Genialis fœdera lecti;
Seu probet intactos nupta Virago toros;
Aſtra fidem faciunt, patronaq; Sidera cla-
mant,
Et mentita ſtygis probra tacere iubent.
Innuba ſeu quærat primæui Virgo pudoris
Indicium; indicium Virginis Ara facit.
Ipſa fuiſſe viris ſi corpora caſta negentur,
Caſta fuiſſe viris corpora, tumba probat.
Inde ſub illæſis teritur lamna ignea plantis;
Inde repentino flore vireſcit humus.
Inde fluunt viuis tumulata liquoribus oſſa,
Inde carent longo membra ſepulta ſitu.
Rideat humanos Virgo bene conſcia te-
ſtes;
Cùm deerunt, Cœlo vincere teſte poteſt.

II.

Deiparæ Virginitas tribus lilijs monſtrata.

Edere ſigna volens Mariani Myſta pudoris,
Prodigijs fertur ſigna dediſſe tribus.
Ter baculo percuſsit humum; teſteſq́ futuros
Ter de percuſsâ ſurgere iuſsit humo.
Surrexêre ſtatim ter iuſsi ſurgere flores,
Liliaq́ è triplici proſiliêre ſinu.
Virginis iſtud, ait, fœcundæ eſt Lilium: & iſtud
Virginis indicium parturientis habet.
Tertius enixæ flos matris adumbrat honores,
Flore ſed hoc ipſo purior illa fuit.
Obſtupuit tot monſtra Fides; &, pergere ceſſa,
Ceſſa, ait: oſtentis res ſtabilita ſat eſt.
Nî ſatis eſt, baculo perge omnem cædere Terram,
Tota tibi fieri Lilia Terra volet.

III.

FRANCISCVS vrticas vertit in roſas.

Terræ nobilis Vmbriæ propago
Franciſcus; decus Vmbriæ perennæ,
Inſuetus Paphias vbi fauillas
Imis gliſcere ſenſit in medullis;
Craſſæ proijciens moras Abollæ;
Hortenſem fugit impigrè in palæſtram,
Et nudus vocat hoſtem; & inſolentem

Audax

Audax corporis improbi iuuentam
Vrticas rotat inter ac licentem
Illis vindicat, increpatq; flammam.
Vrticam tamen ille dum supino
Incumbit grauis obteritq; tergo,
Vrticam fieri repentè versâ
Sentit nobile lilium figurâ:
Sic Francisce, licèt vepreta quæras,
Et sentes tibi carduosq; nôrunt
Vrticæ tamen & vepreta, quali
Franciscum deceat cubare lecto.

IV.

DOROTHEA THEOPHILO rosas è cœlo promittit ac mittit.

Cana gelu, & niueis hiemabant arua pruinis,
Et nemus amissas flebat, & hortus opes:
Cùm moritura, Crocos & odori lilia prati,
Et placitas ibat carpere Virgo rosas.
Hic Iuuenis risitq; rosas, ridensq; poposcit;
Nec mora, quas risit, quasq; poposcit habet.
Nam puer ex astris, ipsis formosior Astris,
Portat odorato munera verna sinu.
Hæc, ait, Elysiis tibi Lilia mittit ab hortis,
Ah malè ludibrio risa puella tuo.
Ille probat donum; pueri probat ora; sed hortos

Præ pueri dono, præ pueri ore probat.
Parce tuas iam, Virgo, rosas mihi mittere, dixit,
Cernere tota horti malo roseta tui.
Dixit, & in strictos bene credulus irruit enses,
Aestiuumq́; subit cœlo hiemante nemus.
Res noua! qui flores Astrorum risit, & hortos;
Huîc iubet offensum Numen vtrosq́; dari.
Ergóne iam luimus, cùm spreta capessimus? inquit;
O vtinam, quisquis spreuerit Astra, luat!

V.

SIRENVS contra Sirenes ab cœlite defenditur.

Lasciuos vbi se Sirenus inter
Aetnæ feruere deprehendit ignes,
Et nullis opem ab imbribus, Venite:
O rores gelidi! inquit, ô liquores,
O Euri Zephyriq́; vosq́; lenti,
Qui terræ gremium rigatis, imbres!
Et quicquid gelidum vsquam, & humidum vsquam est,
Huic illabere pectori, liquatur;
Huic aspergere corpori, crematur,
Infelix Acherontiæ paludis

Ob-

Obsessum calor vstulat, meæq;
Absumit meditullium medullæ.
Vix hæc desierat rogare; iamq;
Rores & zephyros, & auram, & imbrem,
Et quicquid gelidum vsquam, & humidum vsquam est,
Vastatis videt aduenire membris:
Dum cœlestibus elegans ab Aulis
Lauum vulnere non dolente Ephebus
Flammati lateris reclusit antrum,
Et clausum Veneris peremit æstum.
Id Vulnus fuit vnum. At illud vnum
O quot Vulnera vulnus interemit?

VI.

FABER Castus ferrum candens impunè tractat: lapsus vstulatur.

Casta per incudem dum brachia versat Apelles,
Exercetq; pius sueta metalla Faber;
Forcipe reiectâ domitos impunè per ignes
Errat, & hibernas æstimat esse niues.
Quin etiam tollens vndante metalla camino,
Inserit in nudas ipsa metalla manus.
Quippe nequit tactos ignis violare lacertos,
Virgineo septos quos videt esse gelu.

At

At simul admissum patrauit crimen Apelles,
Cœpit edax artus vrere flamma reos.
Tunc Ignem faber esse alium credebat: at ignis
Idem erat; idem alium senserat esse fabrum.

VII.

BRIGITTA Virgo Aram tangit, & Ara virescit.

Explorantibus admouetur Aris
Testatura suum Brigitta, nullo
Tactum crimine conscio, pudorem:
Hîc arentis vt asseris seniles
Et longâ carie situq; adesas
Aræ contigit expiantis oras;
Cœpit surgere plurimus vireti
Cum vernâ decor hîc & hîc iuuentâ:
Frondebant virides, stupente templo,
Sectæ quercubus aridis Tabellæ:
Et quod iam senio grauante rosum
Cœptârat malè verminare lignum,
Viuâ constitit ebrium medullâ.
Et succi modò diues, & liquoris
Derisit veterem suam senectam.
Aude, si potes, ô scelesta, talem
Aude carpere lingua castitatem!

Tollas

Tollas Virginibus reis patronos,
Et tollas fora, Iudicesq; tollas,
Arâ absoluitur à loquente Virgo.

VIII.

Iuuenis lusurus, Annulum imagini B. Virginis indit: quem illa digito contracto recipit.

Lusus erat Iuuenum, quo pondus inane pilarum
Poscitur alternâ, reijciturq; manu:
Hos inter preciosa vni radiabat Iaspis,
Aureaq; inclusas pala ferebat opes.
Hic, (ne sparsa pilæ deformi gemmula næuo,
Aut humili fieret sordida pala luto:)
Exuit Hesperium digitis ludentibus aurum,
Securo cupiens dona reposta loco.
Exigui iuxtà suberant Sacraria templi,
Magnæq; effigies Virginis intus erat:
Hîc aspecta puer miratus imaginis ora,
Certè, ait, hæc auro est digna puella meo.
Exemptamq; suo depromens pollice gemmam
Inserit arrectum Virginis in digitum.
Non renuit donum porrectus Virginis index,
Sed citò contractis excipit articulis.
Quod puer vt sensit, serua aurum, ait, optima custos,
Pulchrior in digito sit mea gemma tuo.

Nunc

Nunc ego dum pueris puto me colludere, mecum
Non pueros video ludere, sed Superos.

IX.

VVALPVRGIS Virgo in tumulo sudat perenne oleum.

Quâ VValpurgis habet sepulta tumbam
(O tumbam nimis, ô nimis beatam!)
Illâc marmore manat è perenni,
Imò è Virginis ossibus, perennis
Nimbus perpetuæ saluber vndæ.
*O qualis (*DEVS*!) ille nimbus vndæ?*
Quàm morbis bonus, & cupitus ægris?
Quàm sanis preciosus? incolisq;
Felix omnibus, accolisq; nimbus?
Illum præ Syrio placere succo,
Illum præ Solymo probari oliuo,
Iurat Teutonis omnis ora; iurat
Quisquis Teutonis est propinquus oræ.
Serua Roma tuas vetusta limphas:
Nos, quam tu tibi vana vendicabas,
Nobis Virgine gratulamur vndâ.

X.

BERNARDVS è Deiparæ imagine lac impetrat.

Virgineo stabat signum venerabile Templo,
Indita cui magnæ forma parentis erat.

Hic

Hic ſolitam Bernardus opem dum ſedulus optat;
Tergeminumq́; leui murmure dicit Aue;
Ter vocat ætheriæ portam blandiſſimus Aulæ,
Ter ſtellam æquoreæ cernuus orat aquæ;
Denique, Mater, ait, magni fœcunda Tonantis,
Incipe te Matrem Virgo probare meam.
Sic ait, & niuei reſpexit ad Vbera ſigni,
Vbereq́; è niueo lacteus imber ijt.
Qui medium flexo poſt quàm Aera tranſiit arcu,
Arida Bernardi fluxit in ora liquor.
Ille diu dubius, dum dulcibus imminet vndis,
Credidit Hyblæo mella pluiſſe mero.
Victa ſed Hybla fuit, Nectar quoque credidit: Illa
Nectare ſed dulci dulcior vnda fuit.
Hæc, tandem, hæc, inquit, Materni eſt gratia lactis,
Claude tuum, iam ſunt pectora pota, ſinum.
Imò age, pande ſinum: da pluribus Vbera, Mater;
Nos quoq́; lactentes, paruula turba, ſumus.

XI.

AGNAE Politianæ tumulus manat iugi rore.

Si quem Cypridos vstulant calores,
Aut iactis agitat Cupido tædis,
Huc ad Virgineos reuisat imbres,
Imbres Virginis ad Politianæ.
Stillant iugibus arida ossa guttis,
Et viuo pluit Agna humata rore.
Qualem nulla dedit Cilissa fusis
Nubes imbribus optimis liquorem;
Nec Romæ (licèt insolens Latinis
Rursum sparsio fiat in theatris,)
Talis per cuneos, patrumq; possit
Vllus per podium meare riuus.
Nam riuum, modò quem putamus Agnæ
Humecto fluitare de sepulcro,
Certo certius est, venire cœlo.

VIRGINVM CHORVS SECVNDVS.

XII.

Virginitas per luctam defensa.

Virginitas vt tuta suos armetur in hostes,
Iussa fit in pœnas ingeniosa suas.
Nam seu blanda premant Cythereiæ bella puellæ,

Mox sua terga ferit Virgo, Venusq́; perit.
Siue puer Gnidio tela ignea dirigat arcu,
Tela per effusas dissipat illa preces.
Seu tacitè insidias alias paret, illa repugnat,
Insidiasq́; alijs excipit insidijs.
Inde pudor paribus paria arma repercutit armis,
Atq; ignes alio fortior igne ferit.
Cùmq́; repulsa Venus redit vsq; rebellis & vsque,
Ipse flagris reducem verberat vsque pudor.
Scilicet ipsa Venus, quæ sint sua præmia, nouit;
Inde redit toties ad flagra, digna flagris.

XIII.

S. THOMAS Aquinas titione fæminam fugat.

Ingenuos Thomas cùm viueret inter Ephebos,
Castior ingenuos inter Ephebus erat.
Sæpe quidem pueri Venus ora modesta probauit;
Sæpe probata tamen condidit ora puer.
Denique dum puero Venus arcto in carcere sentit
Ostia captandæ nulla patere fugæ;

Idaliam festina iubet properare ministram,
Quæ solito pectus fallat inerme dolo.
Terq; quaterq; manus illi intulit improba; at ille
Reppulit illatas terq; quaterq; manus.
Nec tamen illa, quater discedere iussa, recessit,
Sed quater, atq; iterũ est ausa redire quater.
Quid faceret? Clausus vetat illum erumpere postis,
Ipsaq;, præ clauso poste, puella vetat.
Aequorea spectaret aquas è rupe; profundas
Lapsus ab æquoreâ rupe subiret aquas.
Cerneret Aetnæos Siculis à montibus ignes,
Iret in Aetnæas, igne stupente, faces.
Pugnaret iaculo, iaculi si tela videret;
Si foret hasta, manu rapta statim hasta foret.
Arcus adesset, eum caperet puer obuius arcũ;
Vidit fortè focum; præbuit arma focus.
Elatoq; puer debellat torre puellam;
Et Veneris flammas altera flamma necat.
Cur hodie talis tam rara est pugna? puella
Desiit, an talis desiit esse puer?

XIV.

IACOBVS Anachoreta, ne à fæmina vratur, ipse se vrit.

Impia mentito plangebat pectora questu,
Deceptura pium spurca puella senem.

Ten-

Tende manus, inquit, tacitoq; medere dolori:
Nam moribunda grauis pectora morbus habet.
Audit; & inde cauere Senex Venerem optat; & inde
Tollere serpentem membra per ægra luem.
Nempe, ait, à Medico nisi tangitur ægra, necatur:
Et Medicum, simul ac tangitur, ægra necat.
Altera culpa mihi grauis; altera culpa puellæ;
Vtraq; consilio est culpa cauenda meo.
Ergo salutiferi ceroma poposcit oliui,
Et tetigit dextrâ pectora nuda manu.
Sed simul exemplo rediuiuus Scæuola magno
Misit in ardentes brachia læua rogos.
Vtraq; dum gemino sic arsit palma camino,
Arsit maiori dextera palma foco.

XV.

FRANCISCVS in Niuibus volutatur.

Cùm purum Stygio calore corpus
Vrgerent Veneres Cupidinesq;,
Et plures Venus & Cupido plures
Primis ignibus admoueret ignes;
Franciscus gelidas cupiuit vndas:

At

At nullas habuit December vndas.
Nam stabat glacialis, & gelatas
Velabat niuium pruina terras.
Quas cùm cerneret ille, mox seuerus
Hibernas ruit vltor in pruinas.
Et Ventis hiemantibus, niuoso
Persultat generosus in theatro.
Hîc frigente manu, sibi Ministros,
Hîc de vellere candicante Vernas,
Hîc Natos sibi format, hîc Nepotes.
Sed dum tollere cogitat Nepotem,
Magno frigore congelatus, ipsum
Ignarus propè sustulit parentem.

XVI.

BENEDICTVS in vepribus se versat.

Quâ Valles super inuias propinquis
Rupes aëriæ minantur Astris,
Squallenti Benedictus in recessu
Cùm tetro Veneris flagraret æstu,
Voluit vindice corpus in vepreto,
Et spinas vagus inter atq; sentes
Iam costas premit, & lacessit ossa,
Iam plantas domat, & cruentat ora;
Hinc tergum ferus vrget, hinc lacertum;
Et fusi calido cruoris imbre
Arcanas iubet interire flammas.

Ne

Ne molli iuguleris in Roseto,
In tali, Pudor, incuba Grabato.

XVII.

IGNATIVS vndis alterius Venerem plectit.

Ardentem stimulabat Amor funestus Alumnum
In vetitos spreto tendere iure toros.
Resciuit Loiola viam; temereq; ruentem
Sedulus instructis excipit insidijs.
Pons erat: atq; inter geminæ diuortia ripæ
Stagnabat gelido pigra lacuna vado.
Has Loiola subit, collo tenus abditus, vndas,
Quâ Iuuenem vidit non procul ire viâ.
Et, miser, inquit, abi, luxuq; calesce nefando,
Frigoribus flammas his ego plecto tuas.
Ille simul clamore, simul stupet ore lauantis,
Frigidiorq; ipso penè lauante fuit.
Parce piare meos istis, ait, amnibus ignes,
Quos ego iam lacrimis spontè piabo meis.
Mox, quibus externum Iuueni Loiola calorem
Depulit, his ipsis se calefecit aquis.

XVIII.

AMMONIVS ne à Venere vratur, pedes amburit.

Curuato quoties minatus Arcu

Flammantes Veneris puer sagittas
Maternâ iaciebat è pharetrâ.
Arsit terra caloribus, nec vnâ
Sese feruere sentiebat Aetnâ.
Tunc cœpêre nouis adusta prunis
Sparsas pectora postulare lymphas.
Tunc Ammonius vnus inter omnes,
Ne quo castus adureretur æstu,
Non riui petijt meantis vndas,
Non imbres gelidos, nec alsiosi
Incensus glaciem cupiuit Hæmi;
Sed ne quo tamen vreretur æstu,
Diuersum cecidit lubens in æstum,
Nam fracto puerum vt fugaret arcu,
Nudos ignibus vstulauit artus.
Hæc est ars noua! Ne cremeris igne,
Ipsum quærere, quo cremeris, ignem.

XIX.

BERNARDVS lacu suos ignes restinguit.

Ora videt temerè Bernardus vt obuia Nympha,
Obuia Bernardus penè per ora perit.
Nam penitas peruasit edax scintilla medullas,
Tactaq; funestus serpsit in ossa calor.
Ille quidem tacitum generosus pertulit ignem,
Et nouo constans Victor in igne fuit.

Vastauêre tamen magis ac magis omnia flammæ,
Et domito venit maior ab igne vapor.
Tum querulo Bernardus opem clamore poposcit,
Pectora vt afflato spargeret vsta gelu.
Fortè videns glacie stagnantem cominus vndam,
Hæc, ait, ardores molliet vnda meos.
Insiluitq; ferox, & toto corpore mersus
Defendit Medico membra cremata lacu.
Has Venus in thermas si sæpe lauanda veniret,
Non ita Baianis semper egeret aquis.

XX.

IOANNES Bonus assulas sub vngues infigit, & dolore voluptatem vincit.

Gentiles Bonus inter inquilinos,
(Vicino licèt amne, Mincioq;
Per ripas, per & effluente pontes,
Ardebat tamen impotentiore,
Quàm si Mulciberi caleret igne.
Non lymphæ liquor obuius, nec auræ
Ventorum, licèt vberes, iuuabant.
Quò se verteret, vsitata noto
Quem defendere nollet ars ab hoste?
Defendit dolor insolens. Acutas

Primores agit aſſulas ſub vngues.
His telis pugil obuias fatigat
Incurſu miſerabili columnas.
Tùm verò fugere omnis ardor, omnis
Fractis cedere viribus Voluptas.
Sulcaret Venerem licèt cruentus
Sæuæ tigridis aut leonis vnguis,
His nullos tamen vnguibus putaret
Impreſſos Venus eſſe ſæuiores.

XXI.

APELLES Virgo faber candenti ferro fœminam profligat.

Artificis dum folle cauo faber excitat ignes,
Et victore domat dura metalla foco,
De Phlegethontæo prorepit fæmina furno;
Fæmina, cui ſtygius flabat ab ore vapor.
Vicinumq́; petit funeſtâ lampade pectus,
Quâ priùs intactum lampade pectus erat.
At faber vt ſenſit peregrinæ incendia prunæ,
Non, ait, iſte meo prodit ab igne calor.
Conuerſuſq́; videt (monſtrũ furiale) nocentẽ
Fœminam ad incautum ponè ſubiſſe latus.
Méne, ait, ergo tuis, fornax, petis improba flammis!
Ipſa etiam flammis faxo petâre meis.
Effrontemq́; ferit candenti fulmine frontem;
Stridentemq́; reo mergit in ore facem.

Non

Non tulit illa iocum; sed adusta repentè refugit,
Erubuitq; suas frons inhonesta notas.
Fœmina ne qua fabro posthac aude esse molesta;
Scis qualem incudem possit habere faber.

XXII.

ANONYMA Virgo è BRIGITTAE familia pedes adurit, ne aduratur.

Insons è grege Virginum puella
Quòd vano nimiùm periculosam
Audiret Iuueni placere formam;
Vssit suppositis pedem fauillis.
Emersêre repentè pustulæq;
Et puris sanies, cruorq; cruris,
Et nidor pedis, & dolor tumoris;
Hac flammâ pepulit puella flammam.
Dextram Mutius vrat; & stupendâ
Porsennam patientiâ triumphet
Vstus Scæuola; dum puella plures
Ambusto pede sauciârit hostes.

XXIII.

ANONYMVS Iuuenis in prunas abijcitur, vt amorem triumphet.

Insidias Iuueni tendebat fœmina casto,

Phædra suo quales struxerat Hippolytho.
Ille quidem Venerem sæpe indignatus abegit,
Sæpe sed eiectam, sæpe redire videt.
Quid, Iuuenis, tandem faciam, impatientior inquit:
Eminus à tergo, & cominus instat Amor.
Omnia conari pergit Venus. Omnia pergat:
Hippolythus redeo, si mihi Phædra redit.
Me fugiente, diu nequijt mala vipera pelli;
Experiar, quid me non fugiente queat?
Inde diem Iuuenis veniendi dicit, & horam;
Dictaq; iam Veneri cœpit adesse dies.
Illa venit. Sed operta videns vestigia prunis,
Et sola candenti strata calere foco:
Et super ardentes Iuuenem decumbere prunas,
Consortemq; sui se esse iubere tori:
Omnia conari perterrita desiit: vltroq;
Inuitata licèt, desiit illa tamen.
Nempe torum timuit; retroq; relapsa refugit;
Impatiens calidi Sponsa toralis erat.

XXIV.

FRANC. XAVERIVS sanguinem eiectat horrore obiectæ Veneris.

A sudore Xauerius diurno

Vix

Vix olim modica potitus vmbra
Nocturnum ruit æger in soporem:
Confestim Stygiæ mouentur Vmbræ,
Circumstant Veneres Cupidinesq;,
Et spurcis animant torum figuris,
Queîs obnititur ille dum figuris,
Et turbas Venerum Cupidinumq;
Impugnat cubito, ferasq; pellit
Sopitis licèt artubus cateruas,
Ingens assiduo statim duello
Erumpit rosei cruoris imber:
Et nares per, & ora per, soluto
In lectum ruit impotens meatu.
At pugnam Venus arduam perosa
Damnauit pluuiæ ruentis imbrem;
Et non fulmine, sed cruore victa
Nocturna properauit è palæstra.
Sed cur imbre Xauerius rubente
Perfudit Venerem? Rogas? Habebat
Omnes iam Venus antea colores,
Vnum non habuit Venus ruborem.

VIRGINVM
CHORVS TERTIVS.
XXV.

Virginitas per mutilationem
seruata.

Forma pudicitiæ comes olim fida, petulcis
Vt laqueos factam se videt esse procis:
Ipsa sibi bellum facit indignata, suamq́;
Sæpe notat frontem vulnere, sæpe genam.
Inde modesta sibi laniârunt ora puellæ,
Tutus vt in læso viueret ore pudor.
Inde aliæ telis oculos hausêre cruentis,
Frusta suis aliæ trunca tulêre labris.
Illa caput rasit, quasq́; olim sedula gemmis
Struxerat, euulsas iam cupit esse comas.
Illa verecundas irato vulnere nares,
Et quodcunq; Venus posset amare, secat.
Deniq; iam cupiunt deformes esse puellæ;
Seq́; oculis Iuuenum displicuisse, placet.
Esse iubes vultus formosos Virginum? amare
Formosos vultus desine, semper erunt.

XXVI.

NICETAS linguam in Venerem euomit.

Vt Iuueni Cæsar Nicetæ bella pararet,
Bella, quibus Cypriæ signa tulêre faces,
Blanda Semiramiꝫ violaria quæsiit horti,
Strataq́; Pæstanis Amphitheatra rosis.
Hinc aderant modicæ folijs pubentibus vmbræ,
Hinc aderat streperæ non graue murmur aquæ.

Mol-

Mollia ſubter erant de Coâ ſtragula telâ,
Subter erant niuei plumea valla tori.
Iuſſit in hoc Iuuenem reſupinuḿ aſtringere lecto,
Sericaq́ in captos indere vincla pedes.
Et Tyrio iuſſit diſtendere brachia texto;
Ille Prometheas credidit eſſe Seras.
Inde Theatrali de Scenâ fœmina prodit,
Incenſura ſuo fœmina quidq́ foco.
Tunc Iuuenis violas odiſſe; & poſcere vepres;
Tunc gelidas inter ſtragula velle niues.
Vrticas tunc malle roſis; tunc floribus vndas:
Strataq́ plumigero plumbea præ thalamo.
Et, validi ſi robur, ait, Samſonis haberem,
Heroâ caderent vincula rupta manu.
Nunc manibus quia tela meis aliena negantur,
Tela mei dentes ingenioſa dabunt.
Ergo ſecat mediam Dens pulcro vulnere Linguam,
Inq́ genas Veneris fruſta cruenta vomit.
Erubuit non ſpontè Venus, profugumq́ repentè
Rettulit à caſto victa pudore pedem.
Dentis hic error erat: Quo morſu tangere Linguam
Se ratus eſt, illo tacta puella fuit.

XXVII.

ANIANVS oculum, quo fæminam vidit, exſculpit.

Incautos Anianus in vagantem
Obtutus malè fixerat puellam.
Mox facti memor inſtitit profanum
Magnis fletibus increpare vultum.
Ac ne per ſubitum inſcius calorem
Funeſtas ageretur in fauillas,
Quid pœnas, ait, exigo minores?
Non eſt, non ſatis eſt mihi, ſalacem
Solis fletibus expiare flammam:
Vindictas decet exigam viriles,
Et magno ſceleri pares. Repenteq;
Armatis manibus ſibi minatur,
Erronemq; oculum ſeuerus vltor
Infeſtis trahit vnguibus. Nec illo
Quicquam lumine deinde vidit; vno
Quo ſat viderat antéa in puella.

XXVIII.

LVCIA oculos, quibus placuerat, effodit.

Obuia miratus viſæ Rex ora puellæ,
Lucenteſq; duas caſta per ora faces:
Protinus exarſit, formamq; petulcus honeſtã
Inſtitit appoſito ſollicitare metu.
Territa Virgo metu, fœdiq; Cupidine regis,

Con-

Confudit niueas picta rubore genas.
Hinc pro Rege timor stetit; hinc pro Virgine virtus;
Cedere nec patiens ille, nec illa fuit.
Lis decisa fuit postremò magna; Timorem
Victor vbi elusum iussit abire Pudor:
Nam moritura priùs, quàm consensura; parauit
Ambiguo Regem fallere Virgo dolo.
Quæ tibi pars, inquit, nostræ placet optima formæ?
Quam tibi cunque voles; opta, & habebis, ait.
Ille, oculi placuêre. Oculos, illa inquit, habebis:
Parua mora est; voto, Rex, potiêre tuo.
Ferte citi cultros. Cultrisq; stupentibus hausit
Ipsa suâ præceps lumina bina manu.
Quæ placuit nostri pars; inquit, corporis, hæc est:
Iam potes vsq; oculis pascere vota meis.
Horret in audaci mutatos Virgine vultus
Rex; neq; iã in læso, quod probet, ore videt.
Seruaret cùm Virgo oculos, Rex perdidit: & cùm
Perderet illa suos, repperit ille suos.

XXIX.

LVCIA eadem in eodem facinore bis laudanda.

Sensit casta suos placere vultus
Astanti temerè puella Regi;
Et pertæsa suam pudica formam;
Quid vultum placet, inquit, inter omnem?
Vultum, Rex, oculi, inquit, inter omnem.
Iratis subitò puella telis
Dilectos rapit è genis ocellos.
Quos cùm mitteret erutos Tyranno,
Iam securiùs, inquit, hos amabis,
Et quamuis oculis carebo raptis,
Dum sim Lucia, Luce non carebo.
Sed Rex eruto & hinc & hinc ocello,
Credebat duo rapta de sereno
Phœbi sidera Cynthiæq; Cœlo.

XXX.

AGATHA mamillas amittit, ne pudorem.

Virgo Sicana viro toties optata, refugit
Optantem toties Virgo Sicana virum.
Ergo minax Prætor violentâ voce puellam
Ad sua cunctantem iura venire iubet.
Illa, minæ nihil, inquit, agent. Infestior ille,
At meus hic, inquit, nonnihil ensis aget.
Illa, nec ensis aget. Simul ergo laborat vterq;

Ille suas vires, illa probare suas.
Lictorum glomerata ruit manus vndiq;; & vndique
Adstantum innumerus Carnificum numerus.
Vna puella tamen numero circumdatur illo,
Vna per innumeras prompta perire manus.
Siue oculos, inquit, ferro præbere iubetis,
Ferro oculorum ambos euacuate sinus:
Siue genas, sulcate genas: seu pectora vultis,
Pectora quo vultis nuda ferite modo.
Siue manus, truncate manus; seu brachia, habete
Brachia; siue pedes vultis, habete pedes.
Nemo pedes voluit tortorum; brachia nemo;
Nemo manus; nemo pectora, nemo genas.
Sola mamilla fuit pœnis optata scelestis;
Sola data in pœnas ergo mamilla fuit.
Sectaq; crudeli sunt vbera forcipe: Credo
Nulla tibi, Iudex, vbera tacta prius.

XXXI.

CARILEPHVM virum castum fæmina curiosè aspiciens excæcatur.

Neu quam fœminei obuius videret
Fallacem Carilephus oris vmbram;

In ſiluas ijt, auiaſq́ rupes,
Ignoti vagus inquilinus antri.
Sed dum fallere eum puella certat
Mentito malè curioſa ſexu,
Per ſiluas, ait, inuiaſq́ rupes
Ibo fœmina; fœminam videbit
Vaſti tetricus inquilinus antri,
Quamuis tetricus vſque ſit, videbit.
Mox accingitur, & ſtolæ virilem
Fallaci ſuperinijcit lacernam,
Et lucos per, & inuias per vmbras
Occurrit fugienti; & intuendam
Se præbet renuenti: & intuendum
Siluæ fœmina quærit inquilinum.
Sed vix cœperat ille eam videre,
Et mox deſiit illa ſe videre.

XXXII.

APOLLONIA dentes Virginitate impendit.

Niliacos dum Nympha toros illecta recuſat,
Et pluris thalamis omnibus Aſtra facit:
Carnificū pugnos, & ahenæ fulmina palmæ
Per geminas ſentit crebra tonare genas.
Nō tremefacta tamē clypeo vim depulit vllo;
Sed propriæ malas caſſidis inſtar habet.
Ergo ruunt penitâ vulſi de ſede molares,
Oſſeaq́ è fracto decidit ore ſeges.

Cre-

Crediderat tortor, Thebanis altera sulcis
Semina Cadmæâ iacta fuisse manu.
Peneq; iam timuit, ne stragem vltura cruentam
Surgeret è tali Messis ahena satu.
Nil metue ex isto ferratum semine: Messem
Auratam è tali crescere dente decet.

XXXIII.

EVPHEMIA & MARGARITA Virgines sibi nares detruncant.

Purpureas vbi casta genas Euphemia sensit,
Et sua displicitis ora placere Viris;
Quid faciamus? ait; laqueos natura tetendit,
Ipsa suas facies fabricat insidias.
Quà me cunq; vident, rapio malè cauta videntes;
Obuiaq; aspectus vulnerat ora meus.
Arte pudicitiam peregrinâ Virgo tuere:
Forma nocet: formam, Virgo, perire iube.
Dixit & Ambrosiũ cultro festina labellum
Amputat; in Nares vsque seuera suas.
Margaris hâc cernẽs defendi strage pudorem,
Admouit similes Naribus ipsa minas.
Tũ, licèt informi squalleret vulnere forma,
Pulchrior ex illo vulnere forma fuit.
Si res supplicio tali plectuntur amatæ,

Præ-

Pridem erat ipse suo dignus amore procus.

XXXIV.

BRIGITTA formam perdit, vt pudorem conseruet.

Vt pictis sibi vidit à labellis,
Et formæ vitio periculosæ
Lasciuam fieri Brigitta frontem;
Contendit prece seriâ; venusta
Multo vt tubere conderentur ora.
Nec verò Deus admouere pronam
Contentis precibus moratus Aurem,
Promisit dare tuberumve gibbos,
Aut frontis maculas, cutisve næuos,
Aut quosvis cuperet Brigitta morbos.
Mox cœpit macies patrona totos
Et mœstus color occupare vultus.
Contactum quoq; lumen impetrato
Virgo comperit emori veneno.
Et tunc credidit esse se venustam,
Pòst quàm desiit esse tam venusta.

VIRGINVM CHORVS QVARTVS.

XXXV.

Virginitas cæde aut cædis periculo seruata.

Iam

Iam ſtupet eneruem Venus eſſe Cupidinis arcum;
Iam Veneris gelidas eſſe Cupido faces.
Tot iaculo Iuuenes petit ille; tot illa puellas,
Fixa tamen nullo pectore te à videt.
Quippe Pudor viſo pueri fugit auius arcu,
Aut fugere arte nequit cùm Pudor, arte perit.
Hinc iubet è tectis in præceps ire pudicas,
Et propè deprenſas amne perire Nurus.
Hinc itidem ſtringit rediuiua Lucretia ferrum,
Patronaq; fodit pectus inerme manu.
Antiochus rurſum ſi balnea ſordidus intret,
Inueniet Virgo, Democlis arte, fugam.
Scilicet ingenium eſt alijs, producere vitam;
Virgo fit in proprias ingenioſa neces.

XXXVI.

PELAGIA mater, duæq; Comites in vndas.

Mater vt hoſtiles timidâ cum plebe caueret
Inſidias; ſumptâ quæſiit antra fugâ.
Reſcijt hoſtis iter, profugiſq; celerrimus inſtat,
Siue parans dono cogere, ſiue metu.
Ergo, licèt fugerent cautè per deuia, ſemper
Preſſa puellares pinxit arena pedes.

Ventum

Ventum erat ad vastas pendente crepidine lymphas,
Per quas nullius copia pontis erat.
Hîc hæsêre pares; genitrix, quid malumus; inquit,
Ponè ruunt hostes; antè morantur aquæ.
Stamus? adest lasciua cohors, tergoq; minatur.
Pergimus? insanas obijcit vnda minas.
Mitior vnda tamen: si nescit parcere, mergat:
Sat mihi, dum castas merserit, vnda dabit.
Et citius dicto ruit alti in gurgitis vndas:
Debuit hàc etiam turba scelesta sequi.

XXXVII.

APOLLONIA vltrò in ignes.

Pellæa sibi quondam vt in palæstra
Structos innuba Virgo vidit ignes,
Quos lictor ferus, & minax satelles,
Ni promitteret, vsq; & vsq; alebant:
Vanè creditis, inquit, vllam ab isto
Vinci posse Viraginem camino.
Lentum imò est mihi, iussa vimq; vestram
Expectare; locum date, occupabo.
Et ruptis simul hinc & hinc catenis
Stridentes subit ipsa sub procellas.
I nunc, & minitare Cæsar ignes:

Iam

Iam te continuò nouos in ipsis
Dices cernere Mutios puellis.

XXXVIII.

PELAGIA Virgo Antiochena præcipitio defensa.

Quæ Pelagi gaudet socio cognomine Virgo,
Et Syriï patriam littus Orontis habet:
Illa verecundæ quondam sibi conscia formæ,
Insidiaturis fugerat ex oculis:
Fugerat illa quidem; sed mox videt illa, reuulsis
In patefacta procos tendere tecta seris.
Quid faceret? Stabat munito Regia saxo,
Regia sublimes turribus æqua minas:
Occupat hoc pauidi festina pudoris Asylum,
Vitet vbi hostiles iam propè capta manus.
Repperit intentus tamen illa cubilia prædo;
Ergo cubile aliud celsius illa petit.
Repperit illud itẽ. Toties modò prodita Virgo,
Effugiam per quod deniq;, dixit, iter?
Nec mora: abit præceps summis è turribus: Vnam hanc
Hostibus ignotam viderat esse viam.

XXXIX.

SOPHRONIA cultro suam castitatem à ludibrio vindicat.

MATRONAE *placitas iubebat ædes*
Cingi

Cingi milite Cæsar, & proteruo
Acciri sibi fœminam à ministro.
Quæ cùm resciit imperata, paullùm
Mutato stetit impedita vultu:
Mox ficto Mulier pudica risu,
An sordes, ait, has laciniarum
Abstergi priùs, induiq́ mundum
In nostro sinis alterum cubili?
Id verò licet, inquit: ì proinde
Totam corporis enoua iuuentam.
Faxo, inquit mulier, rubere totum
Pectus purpureo videbis ostro.
Mox cultrum rapuit ferox, & alto
Pectus nobile verberauit ictu.
Et iam sanguine plurimo cruenta,
Quæ nulli cupitis placere, dixit,
Hanc circumdate purpuram puellæ.

XL.

EVPHRASIA ingenio Virginitatem tuetur.

Ibat ad inscriptæ famosa cubilia cellæ
Flebilis è patria tracta puella domo.
Ecce furens animi, stimulante Cupidine currit
Infelix eadem Miles ad antra gradu.
Incautamq́ procus molitur ludere Nympham;

Nym-

Nympha sed incautum lusit acuta procum.
Nam, violente meo parce, inquit, prædo pudori,
Et veniæ precium grande repono tuæ.
Tenta; & inerme meo line quoduis vnguine pectus,
Illæsum à quouis vulnere pectus erit.
Vnge pedem, pes tutus erit: latus vnge, valebit:
Vnge femur, spernet vulnera quæq; femur.
Ipsa Machaonij documentum ero prima liquoris,
Fraudis erit iugulo pœna luenda meo.
Inde suum clausâ de pyxide promit oliuum,
Et sua mendaci colla madore linit.
Huc, ait, infestum vibra valido impete telum,
Elusura tuas sunt mea colla minas.
Iussit. At ille graui iugulum ferit arduus ictu,
Deceptoq; caput territus ense secat.
Quæris adhuc, vires habeant quas vnguina, miles?
Seruandæ vires virginitatis habent.

XLI.

MICHAEL VERINVS, castissimus Iuuenis, ne virginitatem amittat, vitam amittit.

Verinus puer innocens, Iberæ
Nuper gloria nobilis Iuuentæ,
Cùm letho propior videret omnes
Desperasse Machaonum cateruas:
Aut porrò superesse tam malignis
Vnam à Cypride febribus medelam:
Vnam se Podalyrij modesta
Victuram negat indoles per horam.
Abscedant Veneres; Cupidinumque
Infames, ait, exulent cohortes:
Quæ cùm tot noceant bonis; mihi vni
Si prodesse velint, malus videbor.

XLII.

IACELINA Virgo Appula per mare effugit.

Cogeret inuitam ne quis sibi nubere, fugit
Appula, nequicquam fratre sequente, soror.
Sed fugiens prærupta subit iuga; magnus vbi altum
In mare de celsa margine saltus erat.
Hîc stetit & longè despectans æquora; fratrem
Hac, ait, iratum rupe cauere potes.

Lon-

Longius ire vetat fugientem ripa puellam:
Longius at certè ripa volare ſinet.
Mox volat immenſo delapſa per aëra ſaltu,
Quà via vix oculis antè data vlla fuit.
Hàc delapſa ferum ſicco pede permeat æquor,
Et Maris attonitas libera calcat aquas.
Poſtquàm, Chriſte, tuis preſſiſti Nerea plantis,
Virgineos nouit iam Mare ferre pedes.

XLIIII.

Virgo inter Eburones è Rheno euadit, proci duo merguntur.

Iuſſa Pudicitiam didicit defendere lympha,
Et Venerem peragunt ipſa elementa ream.
Cernis vt è Rheni metuendo littore præceps,
Altera patronas Clælia tranet aquas?
Ne fallente puta pede ſic cecidiſſe: ruinam
Ipſamet optauit ſpontè puella ſuam
Nulla ope cùm poſſet turbam euitare ſalacem,
Præbuit hanc illi deniq; Rhenus opem.
Sed qua turba procax ereptos ſenſit amores,
Arte ſuos; illa perſtitit arte ſequi.
Nam duo conſcenſos auſi propellere lintres,
Exceptam medijs eripuêre vadis.
Illa memor, ſi caſtam, inquit, permittitis, adſum:
Sin prohibetis, aquas, ecce, reuiſo meas

Et simul insiliens repetitas Virgo sub vndas,
Subruit obscœnam vindice calce ratem.
Demersisq; procis, natat omnem impunè per amnem,
Quis sensum has lymphas non habuisse putet?

XLIV.

Virgo Mantuana in Mincium Amnem.

Mincius Andinis vbi iam conterminus aruis
Ausonias curuo ponte coronat aquas,
Illic riuali iactatam turbine Nympham
Firmiùs illo ipso ponte stetisse ferunt.
Nam ferus instabat furiisq; vrgebat adulter,
Inde viam clauaens ensibus, inde fugam.
Illa tamen, si, inquit, non est, quò viua recedam,
Certè erit hic aliquid, quò moritura cadam.
Continuò de ponte, minas risura procaces,
In patrios fluctus libera Virgo ruit.
Territus ille fuga; cur te ipsa miserrima mergis?
Mincius est, inquit, quò peritura cadis.
Vorticibus magnis trahit ille rapitq; natantes.

Mincius

Mincius est: Amnem, stulta puella, time.
Illa, nihil metuo mensuri gurgitis iram,
Ira pudicitiam dum tueatur, ait.
Nulla locum sperent in tali incendia Nymphâ,
Quæ minimas toto subruit amne faces.

VIRGINVM CHORVS QVINTVS.

XLV.

Virginitas in fornice illæsa.

Prostat vbi patulo Siren inhonesta theatro,
Et titulum cellæ figit amica suæ;
Sæpe Nurus illuc & honesto corpore Nymphas
Impia raptari Iudicis ira iubet.
At pudor in cella manet inuiolabilis; & se
Non exspectatâ sæpe tuetur ope.
Nam quæ visa sibi est nullos habitura patronos,
Sæpè viros habuit, sæpe puella feras.
Altera nunc Vrso, nunc altera tuta Leone,
Tertia (quis credat?) Milite tuta fuit.
Hæc aliâ defensa viâ; quem pura subiuit,
Purior ex illo fornice rursus ijt.
Obstupuit noua monstra Venus. Mea lustra quis, inquit,
Facta pudicitiæ crederet esse scholam?

XLVI.

Virginis ANTIOCHENAE, & Christiani militis mirabilis pugna.

Flebat in Idalio captiua puella cubili,
Innumeris vbi erat ianua septa procis:
Quæ pius vt sensit discrimina miles; eidem,
Quam non sperauit virgo, parauit opem.
Limen enim pacto venale præoccupat auro;
Et prior infames hac subit arte fores.
At procul ingresso perterrita milite Virgo,
Fugit; ab aspecto ceu fugit Agna lupo.
Quem malè cauta fugis? quóue inscia Virgo recedis?
Non ego, ait, capti prædo pudoris ero.
Consilio fugitura meo; prius abijce vestes
Cauta tuas; vestes indue Virgo meas.
Illa dolos, castæq; timens ludibria formæ,
Sueta suæ differt ponere lina stolæ.
Vix demum thoraca suis inuita papillis
Iungit; & inuitâ ponderat arma manu.
Induitur contrà muliebri cyclade miles,
Prolixoq; Syram syrmate verrit humum.
Hîc ego, miles ait, mentita puella manebo:
Tu fuge mentito vera puella Viro.
His fugit illa dolis. Iuuenem sed barbara visum

Amissæ

Amissæ pœnas pendere turba iubet.
Aduolat hîc Virgo, iam Virgine fortior: Adsum;
Sola fugam cepi; sola piabo fugam.
Ille secus; nihil ista, Viri, nihil ausa. Patraui
Crimen ego: solus puniar, inquit, ego.
Illa rogare magis; magis ille refellere. Crimen
Credat vterq; suum, nî probet esse suum.
Vllâne tam pulcram meminerunt secula litē?
Postulat absolui neuter; vterq; timet.

XLVII.

DARIA per Leonem à LENONE defenditur.

Iam Daria trahi impijs Tyranni
Cœptabat violenter à Ministris:
Iam Lenonibus vndiquaq; septum
Spectabat lacrimabilis theatrum.
Et quò imbellis, ait, puella tendis?
Quò infelix raperis? potes penates
Olim viua subire tam profanos?
Quid differs, misera, interire: dixit
Plorans talia: cùm repentè liber
Erumpens caueâ Leo ferinâ
In turbam ruit vltor impudicam.
Fit latè fuga. Nemo iam minister,
Iam nemo manet in statu satelles.
Dilapsis igitur timore turbis

Perstat vindice præda cum patrono;
Et castam fera fœminam: feramq́;
Noscit fœmina casta: seq́; clamat,
Lenones timuisse, non Leones.

XLVIII.

LVCIA nec ab igne, nec in fornice violatur.

Illa Syracosiæ virgo pars maxima famæ,
Lis vbi de forma, deq́; Pudore foret,
Iam Lenæ raptata manu, cùm proxima fœdæ
Inscriptas Veneris cerneret esse fores,
Horruit infamem sceleris locum; &, Ergóne castus
Ingredietur, ait, tale cubile Pudor?
Fige puella solo vestigia, fige; profanas
Rectiùs ante fores emorieris, ait.
Mox immota stetit: Mox tracta potentiùs illa;
Fortior in fixo restitit illa gradu.
Iniicit ergo furens violentos turba rudentes,
Sed nullo impelli Virgo rudente potest.
Inde boues, inde addit equos. Sed Virgo ligatos
Inde stupere boues, inde coëgit equos.
Turba igitur flammâ circundat edace puellam;
Sed nihil illa sui flamma caloris habet.
Mox pice, restinctum mox ignē sulfure pascit,
Sed

Sed neq; pix ignem, ſed neq; ſulfur alit.
Quas ardere voles, remoue hac à Virgine tædas:
Quas cupis extinctas, huic, Venus, adde faces.

XLIX.

COLVMBA Virgo ab Vrſo cuſtoditur.

Ferrato licèt Vrſus occupatum
Seſe Murice cernat, & grauanti
Colli robora præpedita millo:
Lenones tamen inter atq; Lenas
Vim castæ fieri videns Columbæ,
Effractâ volat Vrſus è cauernâ,
Et millum ſimul, & ſimul morantem
Abrumpens violentior catenam,
In turbas ruit; horriduſq; cœpta
Diſturbat Iuuenum impudentiorum:
Et pro Virgine dimicans, petulcos
Cogit cedere Iudicis miniſtros.
Nullos virgo procos timebit vlla,
Quam talis comitabitur catella.

L.

MARTIANAM Virginem repentinus paries tuetur.

Lenonem fugeret cùm Virgo modeſta ſequentem,

Et traheret lassos iam superanda pedes;
Quid miseræ restaret adhuc? iam penè premebat
Vltima virgineæ syrmata leno togæ.
Tenderet expassas prædonibus obuia palmas?
Capta foret palmis præda trahenda suis.
Præcipitem saltu peteret generosa ruinam?
Nulla, in quam rueret, tã propè vallis erat.
Ardua se in rapidos vndarũ spargeret amnes?
Nusquam erat in plano ripa nec vnda solo.
Ergo precata Deum, timido petit arma pudori,
Nec Deus auersâ reppulit aure precem.
Incipit enato tellus increscere vallo,
Et paries fœtâ surgere grandis humo.
Disclusitq; repentè duos. Iamq; illa timere
Desiit; incepit leno timere sibi.
Mæniaq; vt subitò crescentia circumspexit,
Quæ sobolem hanc peperit tam citò Mater? ait.
Festino fuge leno gradu: locus iste minatur:
Penè erat, & factus tu quoq; murus eras.

LI.

CATHARINA Sueca per ceruum liberatur.

Tranquillo nemorum Catharina per æquora passu

Fortè

Fortè tuos ibat visere, Roma, lares:
Cùm conspecta viris (quanquam fugisset) amantum
Insidiaturos cœpit habere greges.
Iamq; adeò comitante globo iuuenumq; canumq;
Acer in ignara terga ruebat eques.
Huius vt insidias postico è puluere vidit,
Nec sibi concessam per sola plana fugam:
Sidera, clamat, opem; date opem cita sidera, clamat:
Lenta suam tellus ferre moratur opem.
Finierat, cùm bina leuans sublimia ceruus
Cornua, vicino tramite carpsit iter.
Ille canes, dominosq; canum per deuia traxit,
Cornigeram peteret cùm sibi quisque feram.
Sic elapsa manu in tutum Catharina profugit,
Vsa patrocinio, cerue, puella tuo.
Sidera cur Tauros seruatis, & Astra Leones?
Dignior hic vestro Ceruus honore foret.

LII.

AGNAE pudor ab Angelo vindicatur.

Romæ infamia dedecusq; Vesta,

Et tu Maxima, quæ vigil fouebas
Aeternas Capitolij fauillas;
Agnam cernite virginem, aut decennem,
Aut si grandior illa, tredecennem;
Quam cùm cernere Vesta, vosq; Vestæ
Vnam cœperitis procul ministræ;
Vester (si pudor vllus est in vlla)
Aspectâ pudor erubescet Agnâ.
Hanc cùm barbarus ad pudenda Iudex
Prostantis raperet theatra turbæ;
Vna omnes Iuuenesq; Iudicesq;
Et turbæ probra, consciasq; cellæ
Cælo vindice terruit puellas.
Nam stabat comes Aliger, latusq;
Strictâ Virginis ambijt macharâ.
Ingressus tamen alter est & alter,
Et si quis super alterum alterumq;
Aut audax nimis, aut nimis proteruus:
Castæ irruperat in cubile Nymphæ.
Illum terruit Aliger, rotato
Iussum protinus euolare telo.
Sed vicit Iuuenis procaciori
Omnes nequior vnicus cachinno:
Sexcentis, ait, ambiatur hastis,
Quot Cadmo neq; fabulosa sulcis
Tellus parturientibus profudit:
Irrumpam tamen, inquit, & meo omnes
Cogam

Cogam cedere milites amori.
Vix hæc dixerat impudens, ruitq́;
Pulsis obuius hinc & inde turbis.
Iam Cellæ prope limen, & propinqua
Iam vestigia Virginis tenebat;
Cum viso attonitus repentè cœpit
Oppalescere, & obrigescere artus,
Et vertigine agi, & labare genûa,
Et prono exanimis iacere vultu.
I ride miser, atq; fabulosos
Cadmi spernere milites labora:
Castæ cùm Pudor est tuendus Agnæ,
Non Cadmi tibi milites, sed ipsos
Cœli occurrere milites videbis.

LIII.

ANDRAGISYNA spontè deformatur, ne contaminetur.

In thalamos genitor Natam iubet ire iugales,
Serus uti Nuptæ munere fiat Auus,
Patritios poterat bona dos spondere maritos,
Et formosa illis vel sine dote foret.
Abnuit illa tamẽ. Pater imperat; abnuit illa.
Forma iubet: formam negligit illa tamen.
Ergóne vultus, ait, castam vetat esse decorus?
Efficiam, tutus possit vt esse Pudor.
Cernua mox Superos vda prece flagitat omnes,

Mutet vt infelix ora decora color.
Nec mora; tota subit sanies squallorq́; per ora,
Et faciem reddit ruga senilis anum.
Vndiq; pallor inest: flaui periêre capilli,
Nullaq́; iam in totâ Virgine Virgo fuit.
Tum neq; forma Viros, neq; dos dedit illa Maritos:
Et propè se Patrem noluit esse Pater.
At simul ac vidit tutum sibi Virgo Pudorem,
In secura prior transiit ora color.
Repperit hanc artem, quâ Patrem cogeret. Illam
Vis iterum turpem cernere? Quære Virum.

LIV.

THEOPHILAE pudorem Angelus defendit.

Magni flammeus Aliger Tonantis
Furto viderat improbo Clientem
In ludos Veneris rapi puellam,
Quam riualibus hinc & hinc Amantum
Cùm cingi studijs, & impudentes
Iam iam cerneret inuolare turmas,
Occurrit citus; ædiumq́; telo
Vindex obsidet ostium trisulco.
Nec cessit tamen omnis improborum
Conatus Iuuenum; sed vnus ipsos
Audax aligeri subit per enses.

Ex-

Extemplo iubet Ales incitato
Infandum caput interire telo.
Nec posthac alius subiuit. Vnus
Dum ferro cecidit, cecîdit omnes.

LV.

VVILGEFORTIS Virgo barbæ miraculo castitatem tuetur.

Bello nobilis ore VVilgefortis
Laudatæ metuens virago formæ,
Vt matura viros iuberet omnes
Speratis procul abstinere tædis;
Constans poscit opem beatiores,
Quotquot nouerat, incolas Olympi.
Formam cedere, Cœlites, iubete,
O formam, Superi, periculosam:
Non Mauræ cutis abnuo colorem:
Non qualem patrio calore tostas
Cognatâ gerit Aethiops in vmbrâ:
Non siquid magis atrum & inuenustum,
Tetrumq; illepidumq; sordidumq;
Tellus abdidit vspiam Nouerca;
Nullum respuo Monstrum: abire solam,
Hanc solam, ô Superi, iubete formam.
Audit vota pium pudica Numen,
Et monstri similem repentè cogit
Mento crescere nesciente barbam.
Hic horror fuit insolens; Sodalis

Notam agnoscere noluit Sodalem;
Et Mater sobolem, & Soror sororem,
Et vultu voluit seueriori
Ignotam Pater abdicare prolem.
Demum se quoq; Virginem vel ipsa
Barbatam potuit timere Virgo.
Sic quantò hæc propior Viro est puella,
Tantò tutior à Viro est puella.

VIRGINVM CHORVS SEXTVS.

LVI.

Virginitas per se ipsa clara.

Externis etsi titulis ornata triumphat
Virginitas, & opum grandius agmẽ habet:
Non eget ipsa tamen titulo, neq; diuite fuco,
Sed superis etiam sola placere potest.
Non ita Narcissi felicia germina candent,
Non ita Sidonio murice lana rubet:
Et minor est Violis odor, & minor est Hyacin-thus,
Et minor Hesperijs indita forma Rosis.
Illa fuit quondam Terris incognita: Nosci
Nunc eadem, & Terris nunc quoque cœpta coli est.
Sed quoniam est oris cœlestibus edita: seruat
Ingenium: & patrios pergit amare lares.

Quid

Quid mirum est igitur, stygios si repperit hostes
Virginitas? styx à Virgine victa fuit.

LVII.

BERNARDVS ab hospita inuasus, ingeniosè defenditur.

Visus adhuc puer esse quidem Bernardus; at vnus
Pulchrior è pueris omnibus esse puer;
Cùm stygijs afflauit eum Venus improba tædis,
Qualibus afflatus non fuit ille prius.
Nam sibi, nescio quam, surrepêre THAIDA *sensit,*
Virgineumq́; dolo sollicitare latus.
Fallere sed cautum nequijt deprensa pudorem
Thais, ab intacto fœmina pulsa toro.
Fœmina pulsa semel, semel indignata recessit.
Vsque repulsa dein, vsque reuersa fuit.
Vsque tamen reducem vt puer vsque repelleret hostem,
Vltima sollicitus quæsiit arma pudor.
Ecce! repentinis horrere latronibus ædes
Clamat, & armatas in caput ire manus.
Illa, Latro nō sum, submisso murmure dixit,
Non solet in nostras Latro subire domos.

Ter clamata Latro; negat ipsa ter, esse Latronem:
Ipse iterum sociam ter sibi poscit opem.
Hoc vbi ter sociam rupit clamore quietem,
Præstitit oratam turba vocata fidem.
Accurrensq́ꝫ, torum vigili face circumit omnem;
Sed fugit admotam fœmina latro facem.
Tolle tuam tibi, turba, facē. Puer iste videri
Clarius à nobis iam sine luce potest.

LVIII.

CATHARINA Senensis coronam spineam gemmeæ præfert.

Stelliferâ Catharina duas è sede coronas
Viderat, à Christi pensilem vtramqꝫ manu.
Sed spinis fuerat grauis hæc, grauis altera gemmis
Non illis precium, non decor vnus erat.
Oblatam cape, Christus ait, Catharina, coronam,
Seu placet ista tibi, seu placet ista, cape.
Munera quis dubium gerat inter talia votū,
Grandibus vt gemmis malit habere vepres?
Aude aliquid, Catharina, manus protende: quid hæres?
Iniyce serta tuis gemmea temporibus.
Sustulit ambiguū Catharina dextera votū,

Da

Da mihi, ait, tactu serta probanda meo.
Ac simul iniectis ruit in vepreta lacertis,
Impositaq́ premit nobile sente caput.
Plurimus inde cruor per tempora & ora cucurrit:
Nec tamen optauit gemmea serta sibi.
Non hæc serta dolent, sint quamuis spinea, dixit,
Sunt facta attactu mollia, Christe, tuo.

LIX.

MVSA Virgo infantula B. Virginem spectat.

Iam cuniis, puto, commodùm relictis
Castis Musa iocata cum puellis,
Inter sidereos videbat orbes
Primam Numinis eminere Matrem.
Illi Sidera, Luna, Sol, & omnes
Erronum socij orbium sub imis
Nutabant pedibus; suum exerentes
Magnis ambitionibus Nitorem.
Mille illam aligeri, gregesq́ mille
Stipabant Iuuenum elegantiorum.
Quos illa & Iuuenes, & orbium orbes,
Et lucem Iuuenum, orbiumq́ lucem,
Oris sidere, luminumq́ binis
Extinxit radiantium pyropis.
Talem paruula Virginem puella

Cum

Cùm iuxtà attonito videret ore;
Laudauit niueam modesta formam,
Contempsitq́; suam puella formam.
Et tales, ait, ô beata, tales
O semper liceat videre vultus!
Inflexit bona Virginem puella;
Et mox (ô noua res!) puella cœpit,
Pòst quàm viuere desiit, videre.

LX.

OTHILIA cæca nascitur; à Christo oculis donatur.

Edita cùm primam speraret Othilia lucem,
Iussa statim primâ luce carere fuit.
Nam geminos caligo recens turbabat ocellos,
Velabatq́; duos Noctis imago sinus.
Tacta salutifero sed pòst quàm est Virgo fluento,
Auctorata suo paruula Virgo Deo,
Diffugêre cauæ fuscati luminis vmbræ,
Et subiјt pulsâ plurima nube dies.
Non sine caussa oculos illi Natura negârat,
Debebant Medico à nobiliore dari.
Nec sine caussâ oculos dedit illi Numen, vt essent
Quos lacrimis posset perdere Virgo suis.

LXI.

THERESA Angeli spectatrix.

Gen-

Gentis gloria Baeticae Theresa,
Quamuis gaudia Caelitum frequenter
Non parco biberis meraca voto,
Vt prae delicijs tuis, profanae
Posses gaudia nauseare Vitae:
Quis sensus tamen ille? quis? (fatere)
Quis tunc? quis fuit, ô Theresa, sensus?
Cùm nullâ nebulae iocantis umbrâ
Illum è Caelicolis beatum Ephebum,
(Quouis sidere pulchriorem Ephebum!)
Iuxtà incedere, iuxta adambulare,
Iuxtà alludere cerneres? & illam
Lanae Caesariem aureae videres?
Aut illos oculorum vtrinque soles?
Aut illud decus oris? aut fluentis
Illos syrmatis extimi tumores?
Aut illos manuum tenerrimarum
Bellos articulosq;, dactylosq;?
Aut quicquid fuit elegans in illo
Quouis sidere pulchriore Ephebo:
Quis tunc, quis fuit, ô Theresa, sensus?
Certo certius est, Theresa nullum
In sensu tibi tunc fuisse sensum.

LXII.

STANISLAVS Euchariſtiam ab Angelo & B. BARBARA Virgine impetrat.

Opta-

Optabat Iuuenis diuinum Sarmata Myſtam,
Porgeret Ambroſiam qui ſibi Myſta dapem:
Nullus erat. Rurſusq́; oculos animumq́; retorſit;
Sed ſacra qui ferret pabula, nullus erat.
Vertitur ad Superos. Neq; Barbara deſuit illi,
O nunquam ad noſtras Barbara Virgo preces!
Hanc circum Aligeros videt; & cæleſtia circum
Aligeras ad ſe fercula ferre manus.
Hæſit in ambiguo, magis huc ſpectaret, an illuc?
Digna oculis Virgo; dignus is Ales erat.
Sed dubiam litem Munus cœleſte diremit;
Dignum oculis illud munus vtriſq; fuit.
Cùm tamen inde Ales, cumq́; inde recedere Virgo,
Ille procul noſtris vellet, & illa Plagis,
Hîc Oculis iterum cupientibus Æthera cernens
Se nimium eſt tardos queſtus habere pedes.
Nam niſi pondus iners Iuuenem tenuiſſet, ad Aſtra
Vſq; receſſuros ille ſecutus erat.

Ita

Ite tamen, dixit, ſine me: dum Munera detis
Tanta mihi; dabitis ſemper & Aſtra mihi.
Tu quoq; ne noceas, iſtam mihi ſæpè negato
Ambroſiam tellus; Barbara ſæpè feret.

LXIII.

MARTHA hoſpita Chriſti, Virgo, hoſpite Virgine felix.

Ieiuno quoties dapes Magiſtro
Condit ſedula Martha lautiores;
Nullis ſumptibus abſtinet, nec vllos
In Cœnæ precium fugit labores.
Sed largam licèt inſtruat Culinam,
Et de diuite comparare cenſu
Exquiſita laboret eſculenta:
Affectu tamen illa largiori
Impenſas ſuperat dapum, & Culinæ
Fumantis precium vnico triumphat.
At nec fercula delicatiora,
Nec cultum huic placet hoſpiti cubile;
Sed quæ Virgine degit in cubili,
Hunc Virgo trahit hoſpitem. Nec eſſe
Vllo maluit hoſpes in cubili:
Vllum aut maluit hoſpitem cubile.

LXIV.

THARSILLA & AEMILIANA Virgines in cœlum inuitantur.

Lumina ad Eoos languentia verterat ortus
Tharſilla, in caſto mox moritura toro.
Ecce tibi! videt omne loco diſcedere Cœlum,
Et Superûm innumeros inde venire greges.
Mille ibi Cœlituum, variata per agmina, turmæ,
Mille ibi Virginei viſa theatra chori.
Mille itidem voces, itidem diſcrimina vocum;
Vox tamen ex illis gratior vna fuit.
Vox erat illa, Veni. Veniam, illa celerrima dixit.
O vtinam! nulla eſt, eſt mora nulla, ſequar.
Sic abitura, videt memorem reſtare ſororem;
Et ſinite hanc, inquit. Vox ait illa; ſinam.
Mox Tharſilla: Soror, ſoror ô comitare ſororẽ?
Neſcio quid pulchri viſus Olympus habet.
Illa itidem, veniam: dixitq́; obijtq́; vocante
Promptior ipſâ etiam viſa ſorore ſoror.
Scilicet, aſpexit cùm ſidera peruia Virgo,
Aegri etiam diſcunt accelerare pedes.

LXV.

SCHOLASTICAE VIRGINIS Anima ad cœlum euolat in modum columbæ.

Stel-

Stellatos Benedictus vt polorum,
(Questus multa gemensq́ue) vidit orbes;
Longas exilij perosus horas,
Visæ mœnia patriæ salutat,
Et votis cupit euolare ab illâ
In qua manserat exulum lacunâ.
Portentum! videt illico migratam
Attolli, niueæ in modum Columbæ,
Charam ad mœnia patriæ sororem.
Tunc fletu gemituq́ue duplicato
Illi supplicuas tetendit vlnas:
Cùm non inuideam, inquit, hoc sorori
Tam felix iter; hoc iter quid audes
Deserto, soror, inuidere fratri?
I felix tamen, inscioq́ue fratre
Dilectos pete patriæ penates:
Celasti, fateor, fugam; euolasti:
Sed te, qua sequerer via, indicasti.

LXVI.

CATHARINA Virgo Mart. lac pro sanguine fudit.

Vncorum rabies iam fracta, furorq́ue rotarum,
Et reliquum elusum fulmine pegma fuit:
Cùm Catharinæ caput tibi denique sustulit ensis,
Cœpitq́ue attonitum lacte madere solum.

Quip-

Quippe videns pugnas in Virgine Terra viriles,
Lac nisi vidisset, crederet esse Virum.

VIRGINVM CHORVS SEPTIMVS.

LXVII.

Virginitas inter Coniuges clara.

Ambiguam Salamandra fidem iam certa probasti;
Omnia victa tuo credimus esse gelu:
Pòst quàm nulla vident tædarum incendia tuti
Inter contiguos fœmina virq; toros.
Hinc Siculas ridere potes, me teste, fauillas;
Hinc domitas inter repere salua pyras;
Cernimus vt refugæ timeant sua fœdera flammæ,
Dum quatit innocuas pronuba turba faces
Hîc neque Virgo Viri vicino conflagrat igne,
Vir neque vicino Virginis igne flagrat.
Frigidiora Pudor videt esse cubilia nuptus,
Quàm videt hibernas Thracia silua Niues.
Mutarunt Elementa fidem. Prius IGNE *calebant*
Omnia: nunc ipso frigus ab Igne venit.

LXVIII.

S. IOSEPHVS in Coniugio Beatissimæ Virginis Virgo.

Virginis hic nupta, & Pueri maturus Alũni
In patria Custos, Exilioq; Comes,
Iesseia de stirpe licet Regesq;, Ducesq;
Cognati numeret sanguinis inter Auos,
Ipse tamen tanta tam clarus Imagine gentis
Viuere plebeij maluit arte fabri.
Sed Iesseia pari cùm Virgo locanda Marito
Nusquam vllum posset Virgo videre parem:
Monstratus faber iste fuit demum indice Virga;
Coniugij ô quanti pronuba Virga fuit?
Arida iam fuerat, iamq; omnibus ora medullis,
Parsq; super verni nulla viroris erat:
Viuere tota tamen rursumq; virescere cœpit,
Cùm fuit illa fabri Virga resumpta manu.
Quomodo enim potuit florescere talis in illa
Virga manu? dices. Virgo erat illa manus.

LXIX.

PVLCHERIA Imperatrix Virgo Coniunx fulcrum Imperij labantis.

Hæc est illa Virago, quæ labantes

Orbis

Orbis fulciit anxij ruinas;
Cùm nemo diadema, desitosq;
Auderet populo leuare fasces:
Cùm deesset, venientium cruentos
Qui compesceret hostium furores;
Hæc Regnum fuit ausa patriosq;
Nullo sumere cum tumore fasces.
Hæc in legitimis puella tædis
Nunquam vllis fuit vstulata flammis:
Sed Virgo in domina fouebat aula
Nupti perpetuum decus Pudoris.
Didones procul hinc, Amazonumq;
Abscedant temerariæ Phalanges;
Quisquis venerit hostis, hîc in vna
Magnum Virgine Cæsarem videbit,
Magnam in Cæsare Virginem timebit.

LXX.

CHVNEGVNDIS Imperatrix Virgo per ignitos vomeres illæsa transit.

Cæsar vt exploret violati signa Pudoris,
Seruatamq; probet Virgo marita fidem:
Imperat vltrices ante ora profundere prunas,
Ferreaq; ignifero strata locare solo.
Hîc, ait, obiectam calca pede Virgine flammam;
Flamma potest læso dicere iura toro.

Vir-

Virgo nihil cunctata; metu discedere iusso,
Instruit insontes ad noua bella pedes:
Ingrediturq́; auidas illæso calce fauillas,
Vsta minùs, patrio quàm Salamandra foco.
Absoluitq́; reum calcata fauilla Pudorem;
Doctior in caussis nulla fauilla fuit.

LXXI.

ZACHARIAS Cerdo, Coniunx, Virgo, cælites ministros habet.

Nuptæ Coniugis immemor, marito
Cùm Cerdo senuisset in cubili;
Seu vicos per & auios recessus,
Seu cæcas vagus iret inter vmbras,
Daduchos fugiens facesq́;, nunquam
Ancillantibus vsus est lucernis.
Sed ne noctibus ille nil videret,
Solem luxit ei sereniorem
Cælestûm globus anteambulonum:
Hæc præcedere turba prodeuntem;
Hi stipare satellites morantem;
Hi, quacunque opus esset, hanc togati
Præstabant operam Viro ministri.
Reges cernite Cæsaresq́;, quales
Sint Cerdonibus anteambulones?

LXXII.

HENRICVS Virgo Imperator, Virginis coniunx.

Qui dominos potuit sine fastu cernere fasces,
Cernuaq; ante suos Regna iacere pedes;
Qui digitos gemmis ardere, suumq; modestus
Vidit adoratum gentibus esse caput:
Idem etiam socios sine sensu pertulit ignes,
Inq; toro nullum credidit esse torum:
Res licèt ingentis sit pectoris vtraque; maior
Res fuit, in facibus non timuisse faces.
Hinc plantis, Chunegunda, tuis, puto, flamma pepercit:
Parcere namq; tuo sueuerat antè Viro.

LXXIII.

BASILISSA & IVLIANVS Antiocheni Martyres, Coniuges, Virgines.

Quà plenis SYRVS alueis Orontes
Festinas rotat inquietus vndas;
Hac castum simul in cubile venit
Desponsi Basilissa Iuliani:
Spirant gratuiti repentè venti
Gratos naribus obuijs odores:
Non quos aut pluuiæ solent Cilissæ
Aut messes Arabum, aut Eous imber:

Sed

Sed quos Elysium solet beatis
Cœli mittere ciuibus Rosetum.
Hanc huius Zephyri Virago pòst quàm
Afflatam Basilissa sensit auram;
Quæ tu cinnama, frater, aut amoma
Arcano seris, inquit, in cubili?
Ille, in Virgine, dixit, ista lecto
Crescunt cinnama. Nil moror: perennem
Seruet lectulus, inquit illa, odorem,
Seruet cinnama, seruet hæc amoma.
Sensum nulla habuit peritiorem,
Quàm quæ Virginei decus Pudoris
Seruandum sibi sensit ex amomo.

LXXV.

CAECILIA & VALERIANVS Martyres, Coniuges, Virgines.

Desponsi dum limen adit Geniale Mariti,
Iam Fescenninos Virgo perosa iocos;
Arcuit à pacto Iuuenilia brachia collo,
Sponsatisq; peti noluit ora labris.
Cœlite noster, ait, Pudor est defensus Ephebo;
Ille meos thalamos plecteret, ille tuos.
Dignior ille vnus riualibus omnibus: vnus
Ille tuâ formâ pulchrior; ille meâ.
Hanc, Valeri, si tu ipse cupis quoq; cernere formam,

Cernere solo illam Virginis ore potes.
Annuit ille simul; simul æthere venit ab alto
Cæciliæ felix in penetrale Puer:
Aurea velabant generosum vellera pectus;
Fluxerat in niueos serica Ralla pedes:
Cæsaries radijs, vertex erat æmulus Astris,
Inq; Oculis Lunæ flamma duobus erat.
Obstupuit Sponsus, thalamosq; perosus, inhæsit:
Esseq; conspecto Cœlite Virgo cupit.
Cœlicolæ possunt si visi reddere castos,
Nostra vident paucos secula Cœlicolas.

LXXV.

ROMANI ANONYMI Coniuges Virgines tumulo loquente produntur.

Par ô nobile Coniugum! Maritos
Quos Tarpeia putabat vrbs Amantes,
Cœli Regia Virgines sciebat.
Nam casti thalamum Pudoris vnæ
Nôrant, ciuibus inscijs, tenebræ.
At dum Virgine cogitat sepultâ
Sancti fœdera vir pudica lecti
Circumstantibus indicare turbis;
Et nuptæ sibi, mortuæq; cœpit
Seras Virginis explicare laudes;
Cœpit Virgo Virum sepulta, ab ima

Neu

Neu se proderet, admonere tumba.
Frustra dissimulas, vetasq́; castos,
Virgo, Virginis indicare mores.
Nam tali imperio tuo Maritus
Dum te prodere Virginem vetatur,
Te orbis credere Virginem iubetur.

LXXVI.

DALFINA, & ELZEARIVS Coniuges Virgines à Christo puerulo interuisuntur.

Ad pacti Dalfina tori cùm pergeret umbram,
Certa vel in nupto Virgo manere toro:
Iamq́; oculos casto cœpissent claudere somno
Hinc desponsa suos Virgo, Vir inde suos:
Arcanum subijt proles pulcherrima lectum,
Virgineo proles quæ fuit orta sinu:
Et placidè sponsamq́; inter sponsumq́; rescedit,
Cum geminis Virgo tertia Virginibus.
Inscius obstupuit sua gaudia lectus, & ipsum
Delicias nequijt ferre cubile suas.
Visa nec est spōsis ulla altera gratior umbra,
Horula nec breuior ducta soporis erat.
Optent formosam lasciua cubilia prolem,
Pulchrior in thalamo Virgine visa fuit.
Cur fugit ergo meum proles, ais, ista grabatum?

Sterne torum similem, qui cupis hanc sobolem.

LXXVII.

MALCHVS à Nuptijs profugus, Leone defenditur.

Ne Malchus domino iubente tædas
Inuitus traheretur ad iugales,
Clàm funesta cucurrit ad ferarum
Seruato profugus pudore lustra.
Sed vestigia perfugæ secutus,
Stricto barbarus vndiquaq; ferro
Inuentas herus obsidet cauernas.
Hîc captus trepidare, deq; fidis
Patronum vocitare Malchus astris.
Nec Malcho DEVS *abfuit: sed illam*
Quâ vindex herus ibat in cauernam,
Patronos iubet indidem iubatos
Hosti occurrere barbaro Leones.
Tum verò cupiebat ipse seruum
Nec quæsitum herus esse, nec repertum.

LXXVIII.

S. IOANNES Virgo, in Virgine Christi sinu.

Iam Iuuenis patriâ Galilæus lege parabat
Fœdera perpetui pacta ferire tori;
Cùm placido aspexit Iuuenem DEVS *ore maritum;*

Iniectaq́ trahens ad sua castra manu:
O quicunq́ es, ait, melioribus vtere votis,
Restant Virginibus grandia dona meis.
Audijt ille simul, simul annuit. Inde profanos
Deseruitq́ toros, deseruitq́ domos.
Vtq́ patrem & patriam, sponsamq́ torumq́ reliquit,
In Domino meruit Virgo cubare sinu.
Non piguit molles, ait, ergo relinquere plumas,
Quando cubare isto iam licet in thalamo.

LXXIX.

ANONYMVS Iuuenis Virgo Coniux orcum terret.

Iunctam fœdere Virginem iugali
Multis incolumem Maritus annis
Ipsa Virgine castior fouebat.
Hunc cùm Tartareæ Tyrannus Aulæ
Humana malus hospes in cauerna
Sensit cominus aduenire, cessim
In notas redijt Stygis latebras.
Hæc sunt Virginis, hæc Pudoris arma!
Vno cùm omnia terreantur Orco;
Vna à Virgine territatur Orcus.

VIRGINVM CHORVS OCTAVVS.

LXXX.

Virginitas fugæ aut vestis præsidio tuta.

In proprio quondam cùm Virgo niteret amictu,
Assiduas patuit semper ad insidias.
Sæpè quidem instantem fugitiua fefellerat hostem,
Facta tamen sæpè est indice Veste palàm.
Sæpè etiam inuento venientem eluserat astu,
Sed rediit sumptis integer ille dolis.
Quid moror, ergo? inquit, si nec fuga proficit vlla?
Nec secura manet Virgine Virgo togâ?
Dixit, & abiectis muliebribus ornamentis,
Pro solitâ sumit mascula tela colo:
Pro mitrâ galeam; chlamydem pro cyclade sumit:
Vtq; Virum fugiat, se facit ipsa Virum.

LXXXI.

ALEXIVS ab sponsa in exilium: ab exilio ad sponsam incognitus reuertitur.

Læta Maritales dum Pronuba vẽtilat ignes,

Patri-

Patritiosq; iubet iungere Luna toros:
Spõsus ab illusa, sponsæ fugit immemor, aula,
Et vagus extorres quæritat erro lares.
Patria sed profugum simul Aula notauit Alexin,
Omnibus in lacrimis vnus Alexis erat.
Iamq; parens natum, iam sponsum sponsa requirit:
At nequit illa suum scire, nec illa suum.
Ah quoties genitrix reducem per somnia credit?
Exclamatq;, Redit. Dum vigil instat, Abit,
Ah quoties sponsæ fallacibus imminet vmbris!
Vanaq; dum reddit gaudia, vera rapit?
Ah quoties eadem dixit præsaga, redibit;
Iamq; redisse videt, nec rediisse putat.
Nam veteres fallente redux subit ore penates,
Et forium notos decubat ante gradus.
Decubat, heu; lusus pueris, risusq; ministris!
Creber vbi veterem vernula cædit herũ.
Proximus hîc sponsam videt, agnoscitq; vocantem,
Agnosci sponsæ non tamen ipse potest.
Hîc audit querulæ, neque curat, murmura turbæ.

Et toties fleri se, neq; flere videt.
Tota domus memor est, & tota reposcit Alexin,
Se tamen immemorem solus Alexis habet.
Iam nihil est, patriam potuisse relinquere: plus est,
Quàm fugisse domo, sic rediisse domum.

LXXXII.

Anastasia à sponso profuga, Virum induitur.

Quò magè Anastasiam thalami petiêre viriles,
Hoc studuit thalamos illa cauere magis.
Spemq; pudica Viris incidat ut omnibus omnem,
Mutatis simulat vestibus ipsa Virum.
Inde caua speleæ fugit sub inhospita siluæ:
Soliuagas inter dura colona feras.
His habitans per lustra locis compluria, nunquam
Spontè pedem clausas extulit ante fores.
Sed vigiles intus lacrimas de nocte profundens,
Assiduâ Veneris reppulit arma fame.
Nil opus est vestis, Vir ut esse putêre, virilis;
Te satis illa probat Silua fuisse Virum.

LXXXIII.

LXXXIII.

Athanasia à Viro profuga, ad eundem ignota regreditur, & intacta moritur.

Hæc exuta suam deserto Coniuge vestem,
Fœmina mentito desiit esse Viro.
Inde diu peregrina, Mari Terraq; vagatur,
Assiduas Cœlo fundere sueta preces.
Nec diuersa dabat Viduus documenta Maritus,
Ipse suæ oblitus Coniugis, ipsa sui.
Ecce autem! dum fortè innupta Marita laborat
Ad loca securo tendere sacra gradu:
Perq; cauas valles, nemorumq; per inuia currit,
Obuia deserti Coniugis ora videt.
Vnam ambo tenuêre viam; simul ambo reuersi
Incoluêre vnam, plus duo lustra, casam.
Atq; inibi cumulare preces, curaq; perenni
Consuêrunt puras tollere ad Astra manus.
Cognitus interea Coniunx à Compare semper,
Inscius at Coniux Comparis alter erat.
Prodita res morte est. Quando se fœmina tutò
Prodere vult, solâ prodere Morte potest.

LXXXIV.

IOANNES CALYBITA parentum incognitus hospes.

Ipse licèt Patrus Calybita palatia damnet,
Incola quæsito pauper in exilio,
Sæpè tamen Matrem noctuq́; diuq́; tuetur,
Absentemq́; audit sæpè videtq́; Patrem.
Proderit aspectum patriæ fugisse quid, inquit,
Si patriæ occurrunt tot simulacra mihi!
Præstat vt ostendã manifesta parentibus ora;
Hac oculos plectam scilicet Arte meos.
Sarcinulas legit ergo breues, exulq́; relictam
In patriam tectus paupere veste redit.
Hîc toto videt ore Patrem Matriq́; videtur,
Nec tamen alternâ noscitur ille fide.
Præsentem quin ipsa parens auersa tuetur,
Eq́; suo pellit nescia vestibulo.
Sæpè suis aliæ Natis nocuêre parentes;
Tutus apud Matrem hanc tu Calybita manes.

LXXXV.

GLAPHYRA Virgo, ne Cæsari placeat, in Virum abit.

Cùm ludibria barbarus minari
Nymphæ pergeret obuiæ Tyrannus,
Et formam violentus in pudicam
Impuros oculi rotaret orbes:

Effugit

Effugit Glaphyra; & modesta, noto
Ne se proderet ipsa Virgo cultu;
Fiam Proteus, inquit, & salubri
Cæcum fascino Amasium occupabo.
Mox mendacibus enouata laruis
Sexum Veste recondidit virili.
Iam quærat, licèt, inquit, & requirat,
Vnaq; in Glaphyrâ laboret hostis,
Cùm vel reppererit, Virum videbit.

LXXXVI.

SYNCLETICA, vel APOLLINARIS, veste mutatâ fugit, redit, semper incognita.

Natiuos exosa lares Syncletica Romæ,
Visere Bethleæ cœperat antra casæ;
At loca semotis vbi nacta est deuia vernis,
Mascula se sumpto vertit in ora Sago.
Hîc implere sinum lacrimis, hîc plangere pe-ctus,
Hîc olim pictas imbre lauare genas;
Flebilis hîc itidem sua pignora quærere Ma-ter,
Pignoraq; orbatus quærere rapta Parens.
Multi illam vidêre Viri, vidêre Puellæ,
Sed nulli in visa cognita Virgo toga est.
Ipsa Patrem demum peregrinum in veste re-uisit,

Deseruitq́; iterum ceu peregrina Patrem.
Ne mirare, alijs nosci non posse; parentes
Quando reperta suos fallere Virgo potest.

LXXXVII.

EVGENIA Virgo veste morteque Virum ostendit.

Aemula cognatas mutâram fœmina vestes,
Totumq́; indueram Mascula Virgo Virum.
Spes erat ignoto traducere tempora Sexu,
Meq́; sacros inter dissimulare choros.
Sed deprensa, meum sum fundere iussa cruorem;
Mox mea sunt sæua colla resecta manu.
Sic fugiens cautos tunicâ fallente parentes,
Esse Vir optabam cùm reperirer, eram.

LXXXVIII.

MARINAE Virginitas veste Virili tuta, in morte retecta.

Inter Siluicolas seueriores
Olim consilio Marina casto
Sexum fœmina debilem tegebat.
Nam flauos simul exulare iussit
Rasâ verticis areâ capillos,
Et peplum simul, & superba notæ
A se syrmata purpuræ remouit.
Sed de vellere barbaro cucullum,

Et

Et crassæ tegetem induens Abollæ
Sexûs æmula masculi, Tonantem
Longis fletibus anxiè rogabat.
Ausa est Hanc tamen, hanc Suum Marinam
Effrons dicere Adulterum puella.
Quid palles rea? nullo eges patrono.
Vestes indue proprias; easq;
Vix sumes & Adulterum puellæ
(Quamuis deieret illa peieretq;)
Omnes Grammatici esse te negabunt.

LXXXIX.

EVPHROSYNA in Virum & Smaragdum versa, pudorem seruauit.

Euphrosynam matura toris Genialibus ætas,
Ipsaq; cogebat nubere Forma Viro.
Iam clamatus erat plaudente Thalassio cœtu;
Iam de Materno filia rapta sinu:
Iam permissa viro tædis lucentibus ibat
Per Fescenninos ducta puella iocos.
Ah fugerem, si qua vmbra fugam permitteret, inquit:
Ah fugerem, si quam mi daret hora moram.
Audijt Euphrosynæ votum Deus; atque puella

Ob-

Obtulit hora moram; præbuit vmbra fugam.
Quippe rapit chlamydem malè custodita virilem,
Abiectaq; Vir est facta puella stolâ.
Hinc secura toros, patrisq; ignota penates
Fugit; in inuento ditior exilio.
At sibi ne qua sui restaret Imago, Smaragdi
In lacerâ cœpit nomen habere togâ.
Arseris antè licèt radiantibus ora pyropis,
Gemmaq; purpureâ fulserit in tunicâ.
Pectora Chrysolithus, crinesq; grauârit Iaspis;
Antè tamen nunquam tota Smaragdus eras.

XC.

HILDEGVNDIS insons Virgo, pro fure suspensa, diuinitus liberatur.

Ne sexu pereat Pudor retecto,
Tectam condere mascula laborat
Virgo prouida Virginem lacerna.
Impostor tamen hanc vt indicauit
Furti viuere consciam viator;
Virgo crimina non patrata, fœda
Insons cogitur expiare furca.
Sed defensa Deo puella, mortem

Cœlo

Cœlo vindice depulit: gulamq;
Iussus ſtringere funis innocentem,
Iussis reſtitit improbis; & inſons
Collum ſtringere nî abnuiſſet, ipſe
Funis crederet eſſe ſe nocentem.
Sic in lite ſua puella funem
Ipſo eſt iudice nacta iuſtiorem.

VIRGINVM CHORVS NONVS.

XCI.

Virginitas amiſſa, & per pœnitentiam deplorata.

Fœmina quæ vanis flagrabat Amoribus olim,
Certa lues Iuuenum, perniciesq; Virûm:
Nunc melior læſi ſarcire Pudoris honorem,
Incipit aſſiduis fœmina ſupplicijs.
Altera proſcribit ſolitas à corpore rallas,
Aemula Virginei fama futura chori.
Altera quo Cyprios in pectore fouerat æſtus,
Id modò ploratis pectus inundat aquis.
Denique quas nuper res quæque cupiuerat, odit,
Et quas damnarat ſeria, ſera cupit.
Ipſe Pudor nõdum amiſſus, cùm ſæpe timeret,
Amiſſus cœpit tutior eſſe Pudor.

XCII.

XCII.

MARIA MAGDALENA felicibus lacrimis crimen eluit.

Illa Palæstinis Mulier famosa theatris,
Quæ viuo dominos abluit imbre pedes;
Quæq; pedum sparsis extersérat ima capillis;
Et super Assyrias euacuârat opes:
Illa suos iterat tumulo perterrita fletus,
Et posito corpus quærit herile genu.
Quid miseras frustraris, ait, mea vita, querelas?
Iam tolerare moras Magdala nescit: Vbi es?
Insonuêre cauæ repetito murmure valles,
Siluaq; deceptâ voce reclamat: Vbi es?
Magdalis audito repetitæ murmure vocis,
Hîc, ait, hic ego sum. Vox redit, hîc ego sum.
Sustulit hic oculos, aliquem visura loquentem;
Huc, ait, ergo veni: Vox redit, Ergo veni.
Nescio, quò veniam! lamentis turbida, clamat:
Vltima reclamat Vox; Scio quò veniam.
Continuò rediuiuus adest ante ora Magister,
Quæsitosq; cadit Magdalis ante pedes.
Quæris, in aspecto quid senserit illa Magistro?
Tota sibi sensus sensit abesse suos.

XCII.

MARIA Aegyptiaca inter feras fleuit, quod inter homines peccarat.

Siluas inter, & inter horridorum
Iordanis nemorum vltimos recessus,
Nullo fœmina peruagata teste,
Noctes assiduo diesq; fletu,
Et menses gemitu exigens & annos,
Et plures trieteridas, solutis
Lamentabilis hæsit in querelis.
Iam non fœmina, fœminæ sed vmbra,
Aut germana fera, aut feræ figura.
Canis hispida sorduit capillis;
Et rugis stetit horrida, extimisq;
Informes digitis reflexit vngues.
Quæris, quis gemitusq; lacrimasq;,
Tantasq; excierit dolor querelas?
Actam, eheu! meminit licentiorem
Quondam inter Pharij incolas Canopi
In luxu Sybaritico Iuuentam.
Hunc luxum gemituq; lacrimaq;,
Et iugi studet expiare luctu.
Nondum fœmina quæ sit illa, nosti?
Specta crimina lacrimasq; dices;
Morum fœmina talium, vel ipsam
Olim Magdalin audijt; vel ipsam

Certè

Certè Magdalis audijt Magistram.

XCIV.

AFRA ignibus amorem ex-
piauit.

Orta Cypro, Cypriæ vt faceret sacra impia Matri,
Arsit Vindelicis Afra Cupidinibus.
Sed melior, cùm, Christe, tuos præferret Amores,
Iussit abire tuas, fœde Cupido, faces.
Non abière faces. Iterum illa recedere iussit,
Atq; iterum iussæ, non abière tamen.
Artem, ait, ergo sciam, qua pellere Cyprida possim,
Est aliquid, Ciuis quod mea ferre nequit.
Illa timet lacrimas; aderit mihi lacrima. Flammas
Illa timet; deerit iam neq; flamma mihi.
Dixit, & in lacrimas simul iuit, & iuit in ignes:
Et simul in pœnas iuit vtrasq; Venus.
Exilij est pertæsa quidem Venus: hîc tamen omni
Interdictum vnda vellet & igne sibi.

XCV.

THAIS Alexandrina in foro exurit
muliebrem mundum.

Pel-

Pelleæ Pudor Vrbis, & decoræ
Thais fabula dedecuſq; formæ;
Olim infamibus expedita Caſtris,
Quem fœdæ in Veneris ter exſecrando
Quæſtum fecerat impudens theatro,
Abiecit ſapientior; peroſa
Hinc mundum muliebrem, & improborum
Omnes illecebras Amaſiorum; &
Ventos vndiq; textiles ſtolarum; &
Coarum Nebulas laciniarum: &
Lemniſcos miſerabiles comarum: &
Compti verticis aream. Et profanis
Appendicibus aurium: & ſuperbis
Armillis manuum valere iuſſis:
Fucati ſimul oris & coloris
Curam omnem: redolentiumq; tempſit
Per ſex iugera veſtium liquorem.
Quicquid deniq; peſſimis habebat
Quæſitum artibus: omne concitatas,
Admirante foro egit in fauillas.
Arſiſſet ſuper ipſa: nî cadentes
Ignem extingueret ipſamet per imbres.
Hîc quæſtum ſibi maximum parauit,
Quæſtum Thais vbi ſuum cremauit.

XCVI.

MACARIVS Romanus, deceptus Orci ludibrio lacrimis corrigitur.

Sponsus ad ignotæ nemora ibat inhospita siluæ,
Tactus adhuc nullis Coniugis illecebris:
Quippe toros exosus erat; quos nobilis illi
Patritias inter Sponsa parârat opes.
Sed potuit Sponsam, sponsaq; relinquere Romam,
Sponsa tamen Iuuenem Romaq; non potuit.
Nam Stygius furtim vestigia Prædo secutus,
Blandaq; desertæ Coniugis ora gerens,
Vicino lacrimas simulare in vertice cœpit,
Et Viduam ætatem sponso abeunte queri.
Proijcit inde procul Niueæ sudaria telæ,
Proijcit exuti serica sutæ pedis.
Ille doli incautus, dum paupere prodit ab antro,
Arte laboratas incidit in crepidas:
Velaq; de Niueo reperit subtilia texto:
Monstra, ait, in siluis qualia cerno meis?
Pòst videt arrectâ lacrimantem in rupe puellam;
Et malè conspectam, deniq; peius amat,

Iamq;

Iamq́; ibat; cùm vana oculos elusit imago,
Quam Stygiam sensit serò fuisse Strygem.
Tunc gemini properare perennibus imbribus amnes,
Et sceleris testes vnda lauare genas.
Tunc crebri sæuire in conscia pectora pugni,
Iratæq́; caput tundere & ora manus.
Quas vbi conspexit lacrimas; mutata, vicissim
Cessauit lacrimas Styx simulare suas.

XCVII.

PELAGIA Antiochena, ex scelerum pelago pel. gus lacrimarum, in veste Virili.

Hic, qui vertice plorat in supremo
Arcti incognitus inquilinus Antri:
Is nomen Pelago gerit profectum,
Atq; olim Antiochi superba ciues
Omnes vnica vicerat Puella.
Seu Litem faceret pecuniosa
Auri pondere blandientis Arca:
Seu formæ nitor, & vigor iuuentæ
Pugnam inter Syrias daret Puellas:
Illa, inquam, Antiochi superba cunctos
Rebus vicerat omnibus Puella.
Sed tam prodiga formæ, & auri, & arcæ,

Quàm

Quàm castæ fuerat profusa famæ.
Nunc facti pudet: atq; copiosis
Lasciuos Oculos lauat fluentis.
Et luxûs veteris perosa gemmas,
Quos dant lumina quærit Vniones:
Et iam crimina Vir piare pergit,
Quæ se fœmina perpetrasse nouit.

XCVIII.

IACOBVS Anachoreta è proco latro; è latrone lacrimator.

Iam placitus Superis, cæliq; simillimus hospes,
Et nulla tactus labe Iacobus erat;
Cùm malè securus Vicinum assedit ad ignem,
Vicinoq; Senex vstus ab igne fuit.
Virgo aderat, miserè lethæo obsessa colubro,
Virgo per illius Sospes itura preces.
Ille orcum hospitio discedere iussit: & orcus
Humano iussus cessit ab hospitio.
Vix dum conualuit, Sene suppetiante, puella,
Et malè continuò cœpit habere Senex.
Cœpit enim, (ah, quid cœpit enim?) malè cœpit amare:
Vixq; procus fuerat, cùm quoque latro fuit.

Fla-

Flagitij sed serò memor, subit abditus antrum,
Obruit effossâ seq; superstes humo.
Inde sui vindex, iterum plorare laborat
In tumulo, quicquid riserat in thalamo.
Maius an esse malum queat, atq; est fœmina? parcit
Orco insessa; Orco libera facta, nocet.

XCIX.

MARIA Neptis Abrami, è fuga ad lacrimas reuertit.

Extremos licèt exularet inter
Nili siluicolas, senisq; nosset
Insomnes patrui puella curas:
Effugit tamen; inscioq; crimen
Effrons fœmina patruo patrauit.
Eheu fœmina! iam per ima præceps
Spretis ibat, & interibat Astris:
Et Cœli, Patruiq;, Tartariq;
Et Vitæ immemor, immemor Pudoris,
Et famæ immemor, immemor Salutis,
In quosuis Veneris ruebat ignes.
Resciuit Senior fugam; & secutus
Retraxit profugam è fugâ puellam.
O quantis lacrimis & ille, & illa
Hanc vnam luere institêre culpam!
Profecit tamen his & illa, & ille,
Vt porrò Patruo nec illa egeret,

Nec porrò Patruus fugam timeret.

C.

THEODORA à scelere in exilium, in exilio ad se rediit.

Vt thalami malè fida fidem Theodora fefellit,
Territaq; est Orco vindice, teste Deo:
Erubuit fecisse scelus, puduitq; videri,
Et serus toto vixit in ore rubor.
Impatiens igitur, memores spectare penates
Horruit, admissi conscia tecta probri.
Ipsa suos oculos, animiq; perosa latebras,
Quâ sese effugeret, quæsiit arte viam.
Abdita terrarum petijt loca: ibiq; perennes
Ex oculis nulli cognita fudit aquas.
Semper ibi infesto planxit præcordia pugno,
Semper ibi in durâ pectora voluit humo.
Nec manibus vultum, nec destitit vngue capillum
Carpere; prima suæ damna pudicitiæ.
Quin scuticâ tergum, & setis latera vtraque plexit,
Sicca fame torsit viscera, labra siti.
Supplicium, quæris, quantum hoc durauerit? Vt ne
Fortè perenne foret, penè Perenne fuit.

CI. TI-

CI.

TIMOTHEVS luit in antro, quod peccauit in lecto.

Nec sua Timotheum potuit defendere silua,
Quin Veneri (ô animal!) peruia silua foret.
Illa casæ limen lacrimis obsederat; illa
Vicerat obstructam flebilis Arte casam.
Nec contenta Venus cellamq́; foresq́; casamq́;
Fallere; cellæ etiam blanda fefellit herum.
Sensit herus, modici cùm panderet ostia tecti,
Immodicas venis omnibus esse faces.
Et scrutatus aquas, quibus illos mergeret ignes,
Quæsitas nusquam cernere quibat Aquas.
Vritur ergo miser; iamq́; vsq; crematus & vsque,
Elicuit seras ex Oculis lacrimas.
Talibus extinxit lymphis incendia. Nunquã
Arserat, vsus ijs si prius esset Aquis.

CII.

MAGDALENA & AFRA in eâdem tabulâ cum insignibus pictæ.

Magdalis insedit mediam, mediam Afra tabellam,
Illa suis lacrimis, ignibus illa suis.
Cur tabulâ, Pictor, contraria ponis in vnâ?

Et iuxta flammas vda fluenta locas?
Scilicet Afra suo ne picta cremetur ab Igni,
Picta suas illi Magdala iungit Aquas.

CIII.

Adolescenti nobili de vouenda Castitate deliberanti.

Non est, falleris, hæc beata, non est,
Credatur, licèt, esse vita, non est:
Cœli spernere Numen; & paternos
Immortalibus anteferre nutus.
Seu fartâ tibi Patris è crumenâ
Indipondera blandiantur Auri:
Seu vena tibi diues è secundâ
Argenti cumulum flagellet Arcâ:
Seu de Perside nobiles rapinâ
Promittat tibi res Auita gemmas:
Seu demum Libycas auara Messes
Vno Prædia congerant aceruo:
Non est, falleris, hæc beata, non est;
Quæ promittitur esse, vita non est.
Aurem seu patriæ tibi querelæ
Alterno feriant vtramq; luctu;
Aut cani tibi verticem capilli;
Aut barbæ senium; pedumq; pronas
Ostendat miserabilis ruinas:
Et natos simul, & simul futuros
Tecum dictitet emori Nepotes:

Tu

Tu ſicco tamen aude & illa & illa,
Et rurſum illa videre vultu, & illa.
Quòd ſi ſollicito volaret vngue
Sparſos turbida Mater in capillos;
Aut fuſo faciem rigaret imbre,
Aut Nato emeriti ſenile lactis
Infelix Anus exprobraret Vber;
Aut ſiquem vehementior Parenti
Maiorem exprimeret dolor furorem:
Tu per tam querulos ſerenus imbres,
Quò te Sidera traxerint, labora
Maternos ſuper euolare Nimbos.
Non eſt altera vita, vita non eſt,
Quam dicunt tibi & ille & illa, non eſt.
Si ploret Soror; & tener ſub ipſo
Inſtet limine frater, ac precantes
Collo tendere perſeueret vlnas;
Et fratrem ſemel, alterumq; fratrem,
Nexis ingeminent vterq; palmis,
Tu palmas ſuper, & ſuper morantes
Exi, quà potes abſolutus vlnas.
Obſiſtat ſimul, & retenta fidus
Inter brachia pendeat Sodalis,
Et quò tu ſine me Sodalis? & quò?
Et me deſeris? vſq; & vſq; clamet:
Et me deſeris? vſq; & vſq; ploret.
Tu per brachia penduli Sodalis,

Obsistant, licèt, & morentur, exi.
Sirenes tibi si liquata blandæ
Porrecto Meræ poculo propinent,
Et iam gaudia mille blandiantur
Deìn mille altera; deìn secunda centum,
Deìn vsq; altera mille; deinde centum,
Deìn cùm millia multa blandientur,
Eheu! copia tanta gaudiorum
Vnâ, quâ minimè putabis, horâ
Vana tota peribit instar vmbræ.
Quòd si delicijs Puer salacem
Maternis moueat Cupido lusum;
Aut Vitam temerariam Iuuentæ
Promisso malesuada fallat Aeuo;
Tu ne credulus immorare (Noto
Mendax secula decipit Cachinno:)
Sed pectus tibi vel feris, vel ipsis
Durum præ scopulis habe Marinis.
Quòd si Gloria pectori Superbos
Demum immiserit arrogans tumores;
Et vel Murice barbaro nitentem
Vel Coo dederit labore Pallam;
Vel Sellas tibi lætior Curules,
Vel promiserit Aureas honorum
Quorumuis tibi liberalis Vmbras:
Hic tu verò iube repentè Terras
Et Vitæ dubias valere Curas:

Hic

Hic Sirenas, & improbos Amoris
Fucos cedere, Gloriæq; fumos:
Abſcedat Pater, anxioſq; ceſſet
Mater perdere cum Sorore fletus;
Et Frater gemat, & gemat Sodalis,
Vnus tu gemitus habeto nullos.
Tum quaſſus licèt Orbis ingruentes
Extemplo ſit iturus in ruinas,
Tu perſta tamen, atq; ſempiternis
Nullas Legibus antepone Leges.
Nam quæ Vita animum ſolet tropæis
Immortalibus aucare, non eſt,
Non eſt, falleris, illa Vita; Mors eſt.

EPIGRAMMATVM
LIBER TERTIVS,
B. IGNATIO
SOCIETATIS IESV
CONDITORI
SACER.

PROGRAMMA
AD B. P. IGNATIVM.

COelitibus Loiola nouum decus addite; No-
ſtriſq́;
Eoum terris Occiduumq́; iubar;
Hæc mea Signa tui, quantumuis parua, Cli-
entis,
Non tamen Ingrati Signa Clientis habe.
Nam tua, cùm patrios fugerem, hoſte ſequen-
te, penates,
Ad quæ confugerem tu mihi Caſtra da-
bas.
Auſpicijs ibi tela tuis verſare; pioq́;
Infernas didici fundere Marte manus.
Ignotaſq́; diu, iam tandem tramite noto
Quas tibi monſtrarunt Sidera, calco vias.
Hic quemcunq́; bibo laticem Permeſſidos vn-
dæ,
De Loiolæo non niſi fonte bibo.
Quare vt prima Deo, vt Magnæ altera Car-
mina Matri,
Tertia ſic meritis danda fuêre tuis.
His mea Patronis tribus omnem Muſa dat
Aſſem:
Muſa, quot hæredes pauperis Aſſis habes?

I.

Inuerſum Hominis Studium.

DVceret vt certos Deus in ſtata Regna Colonos,
Quadrupedes Terram iuſſit habere feras.
Piſcibus & vaſtis Pelagi dedit æquora Phocis,
Et Stygis inferno tradidit antra Ioui.
Aligeram iuſſit regnare per aëra gentem,
Cœleſtes hominem quærere iuſſit opes.
Pars rata cuiq; ſua eſt: Piſcis natat: euolat ales;
Includuntq́; Iouem Tartara: Terra feram.
Solus homo ſedes, quas quærere debuit, odit:
Et quæ debuerat ſpernere regna petit.
Nam vagus & Terram ſerutatur, & occupat Vndam
Et quicquid Terram eſt inter & inter Aquam.
Turritiſq́; leues infeſtat molibus Auras,
Nec timet in nigros Ditis abire ſpecus.
Nitimur in vetitum: vt nobis perſuadeat Aſtra,
Nulla Deus nobis ſuadeat Aſtra; Vetet.

II.

Aleator impius in ſtygem abreptus.

Fortè pares Calicum furtim coïere trahones,

Cura quibus, præter vina, fritillus erat:
Ludit vterq; : sed huic malè iacta Canicula nummos
Tollit; & huic implet tessera Coa sinus.
Ergo furens animi, iam desperante Crumenâ
Surgit, & vltrices vertit in Astra minas.
Non erat Ara procul; veteri Ara sed inclyta cultu,
Felicemq; super pendula imago trabem:
Hîc sacra funestâ contaminat Ora saliuâ:
Pœnam, ait, amissi tu dabis Ara lucri.
Dixit, & inferno simul adfuit Vltor ab antro,
Qui labra Tartareis impia mersit aquis.
Pergit ibi potare miser: sed ludere cessat:
Nam pòst quàm subijt Tartara, Serius est.

III.

Aurea & versatilis domus Neronis.

Ebria potantem quæ viderat Aula Neronem,
Trinacrij retulit vitrea Monstra Senis.
Aurea nam volucri decurrit Machina tecto,
Et tereti positas circumit orbe dapes.
Sub pede gemma volat, laquearq; trabesq; rotantur,
Assiduoq; fugit mobilis Aula gradu.
Hic noua vicinas transcurrunt Sidera mẽsas;
Hic madidos ridet Luna iocosa toros.
Murrhinaq; armatus modò pocula terret Orion,

Gor-

Gorgoniasq́ timent Sigmata pota comas.
Scorpio quæsitis modò proximus imminet escis,
Et super intactos præterit Hydra cibos:
Mentitusq́ fugit per gēmea fercula Phœbus,
Et vocat alternam præcipitatq́ diem.
Nemo sed auratâ discumbere gestijt Aulâ:
Aureo enim in tecto Ferreus hospes erat.

IV.

DIOGENES Herculis statuam ligneam coquendis lentibus admouet.

Nota sibi Cynicus dum lustrat tecta Cachinno,
Pascat vbi suetam paupere lente famem:
Arida per vacuam circumfert ora Culinam.
Si qua sit in Cynicam viua fauilla dapem.
Hic gelidos horrere videt sine torre penates,
Et nusquam emerito ligna parata foco.
Auxiliū rogat ergo Deos. Fortè Herculis illic
Stabat in excelso lignea Forma tholo.
O bone, bissenis (ait) olim exercite monstris,
Lens decimus debet tertius esse labor.
Diceris olim Apros, olim vicisse Leones,
Nunc etiam Lentes vincere disce meas.
Et simul Alciden frigentibus admouet Ollis,
Subiectoq́ pedes Herculis igne cremat.

Illa Focum flamma, illa Cocum calefecit, & Ollas,
Et Cynicas eadem deniq; flamma Fabas.
Lerna quid Alcida, quid cetera Monstra dedistis?
Clarior à victis Lentibus ille fuit.

V.

De Eodem aliud.

Iam Nemæus erat sublatus ab Hercule terror,
Et ferus Arcadicâ valle peremptus Aper.
Iam stabulis exhausta suis infamia: & hospes
A Diomedeis nemo timebat equis.
Nusquam Cacus erat: Nusquam Stymphalides vllæ,
Et stygis nusquam Cerberus in foribus.
Nullus Lerneæ restabat sibilus Hydræ,
Hesperijs nullus iam Draco in excubijs:
Cùm sua Diogenes, miserando in prandia voto,
Mollire admotas quæreret igne fabas.
Ligna tamen deerant; quæ dum vsq; requirit & vsque,
Herculis emeriti lignea signa videt.
Præcipitansq; foco, noua subdit pabula flãmis;
Hercule sic lentes suppetiante coquit.
Omnibus in mõstris sudaueris, inquit: in istâ
Te sudare tamen plus ego lente puto.

VI.

CAROLO Cæſari Auguſta ſpectandam ſe præbet.

Vindelici Cæſar famoſa palatia Campi
Heſperio viſum venerat vſq; ſinu:
Exhibuit ſpectanda oculis Vrbs omnia tantis,
Et monſtrauit opes ambitioſa ſuas:
Hîc Cœlo aërias æquata cacumina turres,
Hîc inter pictas aurea templa domos:
Septaq; Caſtrenſi ſublimia mœnia vallo,
Plenaq; non vano bellica tela metu.
Hîc Corcyræi mirâcla recentia prati,
Hîc inter patu'as inuia tecta fores.
Nunc liquidos fontes, ſparſumq; per aëra rorem,
Ludicra nunc priſco munera mixta ioco:
Rurſus opes, ſeu Lyda quibus Cimmelia Crœſi,
Siue quibus Craſſi nobilis arca fuit.
Quæ licèt ingentes, tamen erubuêre videri,
Cùm, quas ſpectabat, vinceret hoſpes opes.
Fruſtra Auguſta cupis magna hîc oſtendere: ſolo
In ſpeculo Cæſar MAGNA *videre poteſt.*

VII.

Amico intimo, Romam euocato.

Mutuus inter nos tanti viget vsus Amoris,
Iuret vt hoc Oculos te caput esse suos.
Nunc te Roma iubet, sine me, contendere Romam,
Meq; meis oculis sæua carere iubet.
Mitiùs ô magna mihi gens irascere Romæ,
Et me non sine me, Roma, venire sine.
Abnuis? Hîc potero tamen absens dicere; Romam
Cerno: Data est oculis Roma videnda meis.

VIII.

De Eodem aliud.

Cùm doleam, nequeo fugientem flere Sodalē:
Caussa subest, Oculos abstulit ille mihi.

IX.

LVSITANVS in obsidione Diensi dentem pro telo habet.

Arx vbi Memnonias arcebat Ibera Phalangas,
Alternoq; frequens ibat ab hoste cruor;
Ferrea cōfertum spargebat Iberus in Indum
Fulmina glandifero fulmina parta tubo.
Nec casso tonuêre metu, sed sparsa cadebant
Certius ac Geticâ torta sagitta manu.
Nam quot tela tubus, tot habebat funera cāpus,

Sapè

Sæpè simul strages glans dabat vna duas.
Lethiferi demum defecit copia teli,
Quæsitiq; manum destituêre globi.
Insultare magis tamen ac magis instit it Indus,
Nudaq; contempto valla subire metu.
Non tulit exermis ludibria barbara miles;
Tela mihi desint; telum Ego, dixit, ero.
Extrahit inde Oris genuinum è carcere dentem,
Fartaq; dentatis glandibus æra grauat.
Continuò clypeos & ahena repagula rumpunt,
Et penitos lacerant ossea frusta sinus.
Quæ nouus iratis manibus furor arma ministrat?
Ore sibi vt possit tela parare, parit.
Prælia quis nostris præfert Samsonia? Samson
Maxillâ; nostri prælia dente gerunt.

X.

Ad PAVLLVM iucundissimum Senem, inuitatio iocularis.

O nostri decus aureum Lycei,
Canæ gloria nobilis Senectæ,
Ad nos Paulle reuise; canulaq;
Vel REX *esto vel Arbiter modestæ.*

Plena

Plenâ ſtridulus Anſer in culinâ
Inſuetos hodie fatigat ignes,
Et dudum à verubusq́ꝫ flammulisq́ꝫ
In ſtratas parat inuolare menſas,
Porcelli quoqꝫ grunnientis exta,
Et Lucanica ventre de ſuillo,
Et fartæ piperata fruſta pernæ,
Iam feſtas onerant ſuperba lances:
Iam ſtructor iubet, imperatq́ꝫ carptor;
Iam totas Coquus explicat culinas,
Et nullos queritur venire dentes!
Non ſentis, reor, eſuritionem?
Pranſus deniqꝫ ſenties: mouere
Sueuit noſtra famem ſitimq́ꝫ Menſa.

XI.

Paſtor ludibundus picturæ primus Inuentor.

Lanigeras duxârat Oues in pabula Paſtor,
Suêrat vbi riguæ ludere murmur aquæ.
Fortè Pedo nitens, illisq́ꝫ intentus & illis,
Quas paſcebat Oues, pingere cœpit Oues.
Sparſit enim tenuem pecus albi Velleris vmbram,
Inq́ꝫ parem pecudis deſiit Vmbra modum.
Hanc temerè Paſtor baculo dum circumit Vmbram,
Extima perducto pingitur ora pedo.

Inde

Inde quod Aprico formârat puluere Pastor,
Sedula nunc minio pingere penna solet.
Græcia Parrhasiis inhiet licèt vsq; tabellis,
Cumq; tuo placeat Græcus Apelle color:
Quos tua miratur celebres pictura Magistros,
Discipulos habuit Pastor & Vmbra suos.

XII.

Mansuetus Leo Magni Principis Verna.

Rex nemorum Libycæq; Leo populator arenæ,
Cornigeros ausus sæpè ferire greges:
Mitior admotæ iam præbet tergora dextræ,
Nec fugit humanos ira ferina iocos.
Iam licèt exermes digitis percurrere rictus,
Iam faciles secto comere dente iubas.
Iam formidatæ contemnere robora caudæ,
Iam domitos vngues ludere præda potest.
Ipse solet domini minimos agnoscere nutus,
Et vigil heroos ante cubare pedes.
Quòd nullos hodie cernis sæuire Leones,
Culpa tua est; Mores iam didicêre tuos.

XIII.

Antonii & Cleopatrae Conuiuium in rosis.

Ebria quo steterint Nilotica sigmata luxu,
Prodigeret Pharias cùm Cleopatra dapes;

Hespe-

Hesperiæ sensêre rosæ sensêre Sicanæ,
Per madidos sparsæ quæ iacuêre toros.
Purpureis stragem Mensa attulit illa rosetis,
Cœnaq; Phæacum perdidit vna nemus.
Non campus, non Hybla suos seruauit odores,
Deseruitq; suus florea prata color.
Hic totum conuiua latus mergebat acantho,
Inq; rosis alter totus & alter erat.
Nescio quàm credam sapuisse ea prandia lautè?
Certè ea conuiuis lautè oluisse scio.

XIV.

Absalonis Crines in laqueos versi.

Cùm querceta vagus ruerem per agrestia; & hostis
Plurimus admissis insequeretur equis:
Aurea Cæsaries, flauæq; simillima lanæ,
Visa meum est nimiâ mole grauare caput.
Lactea nam ceruix quas in statione tenebat,
Has leuior Zephyri sparserat aura comas:
Tum Phaëthontiades captæ formaq; comaque,
Ne fugerem, laqueis impediêre viam.
Nam pandêre suos ingentia brachia ramos;

Et-

Et placitas ramis implicuêre comas.
Hîc sensêre meos sibi dum placuisse capillos,
Solus eos sensi displicuisse mihi.

XV.

De Auctore Peccati.

Toxica nondum vllas implêrant Colchica valles,
Vulgarantq́; suam nulla venena luem:
Tractus ab irato cùm denique Cerberus orco,
Virus in humanas intulit omne plagas.
Quippe venenato vomitu simul imbuit orbē,
Infectum genuit mille venena solum.
Inde luem Pecorum primi sensêre Coloni,
Et festinatas Rustica turba Neces.
Hæc mihi fabula erat: sed pòst quàm Proditor alto
Excidit è Cœlo Lucifer, historia est.
Ille vbi lethifero maculauit Sidera fastu,
Imbuit, ah, Nostros hac quoq; e peste sinus.
Serpere mox cœpit, Mentesq́; repentè per omnes
Grassari miseris plurima Noxa modis.
Hinc inimica furunt alternis iurgia Rixis,
Lingua venenatas hinc mala torquet Acus.
Ebria Bacchæo saturantur guttura Succo,
Et Stygio turgent Secula nostra Notho.

Inde

Inde Cupidineis feriuntur pectora telis,
Et Piceæ tendunt in mala furta manus.
Traxerit ex imo mala pessima CERBERVS *Orco:*
Traxit hic ex alto deteriora polo.

XVI.

Societas IESV assiduis Caluinistarum calumnijs petita.

Regia sacrilego scrutari viscera ferro,
Et madidas domino sanguine ferre manus;
Et quæ nec Tragici finxerunt Monstra cothurni,
Intra Labdaciam visa fuisse domum:
Omnia Caluorum plebes turpissima iurat
Vel docuisse meum, vel didicisse gregem.
Quid facitis Leges? Iurata Kalumnia fallit,
Remnia legitimas littera quære minas.
Iam frontem effrontem potes Ara notare Libonis,
Nec potes hic vllam ducere Kappa moram.
Ite citi, lamnas medijs date ab ignibus, ite:
Iam docuit Prolem stigmata ferre Parens.
Æquetur Caluo soboles famosa Parenti;
Quod Pater in tergo, Natus in ore ferat.

XVII.

XVII.

B. IGNATIVS in monte Serrano sponte se exarmat.

Qui nuper Patrijs coruscus armis
Miles fulmineos rotârat Enses,
Et Turmas procul, & procul Cohortes
Misso iusserat interire telo;
Idem Virgineis propinquus aris
Nec telo latus asperat, nec hastâ
In magnas ruit arduus Phalangas:
Sed Vultu querulis pluente Nimbis,
Et crebros gemitu mouente luctus
Cœlo supplicat, & fatigat Astra.
Armatus tamen antè quos nequibat
Hostes vincere, inermis hîc triumphat.

XVIII.

Italus Cordubam ingeniorum Parentem inuisit; & in puero omnium ingenia agnoscit.

Ausonias magno rumore vagata per aures
Cœperat Hesperios tollere fama lares:
Atq; ea diuitijs esse inclyta mœnia dixit,
Atq; ea Pæstano mœnia clara situ.
Rursum ea Regum aulis, aut arcibus ardua magnis,
Rursum ea nobilibus peruia fluminibus,

His

His geminas habuit non vltima Corduba laudes,
Corduba Pierij diues alumna chori.
Tres eadem Senecas; eadem peperisse Nepotes
Quosq; Stagireis æmula fertur Auis.
Audijt hæc Thuscus famæ miracula Ciuis;
Hæc, ait, est oculis fama videnda meis.
Iuit: & aspecta pòst quã stetit hospes in vrbe,
Laudatamquẽ recens aduena pressit humum:
Ecce! dehiscentes valuis bipatentibus ædes
Ambrosio pandit nobilis ore puer;
Quem poterat vel Hylam, vel Hylæ censere gemellum,
Vel sua quem visis forma peremit aquis.
Hic tenui tectum gestabat sindone corbem,
Sindone, quã Phrygiâ cinxerat orbis acu.
Substitit ingenua suspensus ab indole Thuscus,
Et patrio petijt mutua verba sono.
Bellepuer, Charitum soboles pulcherrima, pande
Munera clausa tuo si qua latent calatho.
Et simul affectans adoperti vela quasilli,
Abstrusas ibat Corbis in illecebras.
Sed refugo cessit soboles Hispana canistro,
Et

Et procul elusam iussit abesse manum.
Nam mea si genitrix mihi vellet vt arbiter esses,
Corbi nulla forent obdita vela meo.
Nec mora: festiuo superatus acumine Thuscus,
Visa, ait, in puero est Corduba tota mihi.

XIX.

Ad diuitem, effusè in pauperes liberalem

Aurea cui toties largiris munera plebi,
Assiduamq; graui diuidis ære stipem,
Sidera Plebs eadem tibi festinata precatur;
Sidera tam larga sæpiùs empta manu.
Nos aliud iusto populi in clamore precamur;
Vt, quamuis citò emas sidera, serò petas.

XX.

In Calamitoso Liniversiculos.

Et limam, Line perdis & lituram,
Et limæ omnem operam, Line, & lituræ,
Qui pergis calamosq; sæpiasq;,
Et ruptos pede claudicante versus
Effœtis, miser, imperare Musis.
Rugosæ modò sunt Anus, & aptæ
Ad Socrum Niobæ, nurumq; Pyrrhæ:
Tu cogis tamen & lacessis, ægros
Vt pergant tibi parturire versus.

Ah cessa! Pudor est videre, quantum
Nutent poplite languido suasq;
Conducto pede fulciant ruinas.
Illinc stridula triga sordidatos
Luxato rotat axe barbarismos.
Illinc per salebras ineruditi
Decurrunt Numeri, Atticasq; terrent
Absurdo strepitu Maronis aures.
Quare si sapis, abdica Poësin;
Prætorem pete: cum tuo repentè
In ius quodlibet ambula Magistro,
Coge illum, tibi reddat vt didactrum;
Danda est actio: Nil meretur ille.
Quis testabitur? inquies. Neganti
Versum scribe, Line, Vnicum, & PROBASTI.

XXI.

De MARCI Velseri eruditissimis Epistolis.

Pyrrhus Erythræo quoties digitum induit auro,
Vidit in aspectâ totum Helicona manu.
Paruus enim Palæ in gremio lucebat Achates,
Phidiacus poterat quem stupuisse labor.
Non eguit Sectore lapis: Natura sed illo
In lapide est Cœlo doctiùs vsa suo.

Namq;

Namq; ibi gemmatas Heliconia turba sub umbras
Propria cognatis abdidit ora notis:
Musicus in bacca Phœbus requieuit eâdem,
Facundoq; suum pectine mulsit ebur.
Hæc Pyrrhi nō pala mihi, sed fabula visa est;
Fabula iam tandem desiit esse mihi.
Nam tu Marce doces hodieq; hanc viuere gemmam:
Signat enim Chartas Annulus ille tuas.

XXII.

In CINNAM minutissimæ diligentiæ Grammaticum.

Dulichium quoties Erronem Musa vocabat,
Dulichij semper Nomen VLYSSIS *erat.*
Sic Maro, sic illum Pelignus sueuerat exul,
Sic illum veteri quisq; vocare sono.
Cinna tamen veteri reiecto Nominē; Nomen
Dulichio posthac, inquit, VLYXIS *erit.*
Continuò scriptum vidit locus omnis VLYXEN,
Et placuit nullus iam sine VLYXE *liber.*
Iamq; vel ipsa suum quamuis benè nosset VLYSSEN,
Territa mutato Circe in VLYXE *fuit.*
Et socijs versis, ecce, omnibus, inquit, VLYSSEN

Hunc solum nequij vertere; Cinna potest.

XXIII.

Mater, vt filium bello captum recuperet; Beatissimæ Virgini suum ex vlnis filium surripit.

Captiuos traherent cùm Vincula barbara ciues,
Et nexos premeret serua Catasta pedes:
Appendix ibat Miseræ Puer vltima prædæ,
Indocilis raptâ Matre carere Puer.
Irruit ergo Parens in Magnæ tēpla parentis,
Orbaq; cœlestem Virginis orat opem.
Da bona Mater, ait, Soboles vt capta parentē,
Et Sobolem captam possit habere parens.
Has vbi Virgo diu neglexit surda querelas,
Fœmina Victrices repperit orba preces.
Fortè videns positam Cœlatæ Virginis aram,
Et Puerum in charo Virginis esse sinu:
Hunc, ait, inuitæ Puerū rape fœmina Matri;
Hic meus erepti pignoris obses erit.
Mox rapitur, raptusq; cauâ Puer abditur arcâ,
Et locuples cautâ clauditur Arca serâ.
Hîc vbi Virgo orbos vidit spoliata lacertos,
Et vacuas charâ Prole manere manus:
Deniq; iam Matri parere coacta, repentè

Car-

Carceris occlusas iussit hiare fores.
Et, Puer, inquit abi; querulamq; reuise Parentem,
Discat vti gremio reddere furta meo.
Nulla tuæ posthac genitrici vota negabo;
Artem quâ cogat me tua Mater habet.

XXIV.

De miserijs Honorum Aulicorum.

Qui fasces petit æmulus superbos,
Aut Regni dominam potentis Aulam,
Si pœnas dare, quas meretur, optat,
Regnum continuò impetret, quod optat.
Tum farto licèt incubet grabato,
Et texto latus ambiatur ostro,
Prolixas tamen exsecratus horas
Insomnes vigilabit inter Vmbras.
Quamuis Assyrio Culina luxu
Lautas instruat expedita Mensas,
Quamuis Cæcuba ponat & Falerna
Festis vina Minister in culullis,
Impasto tamen ore delicatas
Inter pocula nauseabit escas.
Illi pectine si cohors eburno
Ludat Threïcium sonora carmen,
Orphêam sibimet suus profundo
Turbabit gemitu Tragœdus artem.
Si fulgentibus hinc & hinc Sarissis

Stipent mille Satellites euntem,
Et cingant totidem ensibus clientes,
Et strictis totidem Aulici verutis;
Pallebit tamen, & suas in ipsis
Anceps Ciuibus expauescet hastas;
Nulli fidere certus atq; summa
Inter gaudia mœstus: Inde Regum
Dum fasces quatit, & superbit Auro,
Toto cogitur exulare Regno.
Durum est Exilium timere, durum est:
Multò durius est timere Regnum.

XXV.

Bembina tabula symbolis Hieroglyphicis ad vsum Nauticum facta; & ab HERVVARDO explicata.

Cærula posset uti ratis ire per æquora tutò,
Saluaq; Naufrago vela volare freto,
Has Pharij pinxêre Senes Persæq; figuras,
Et Mare cælatis explicuêre notis.
Sed nihil in visâ Nauta videre tabella,
Et magis obscuras Ars ea fecit Aquas.
Qualia creduntur Thebano ænigmata monstro;
Aut in Cimmerijs vmbra fuisse plagis:
Talibus Isis erat quoq; Nautica septa tenebris,

Posset

Posset vti Noctes ipsa timere suas.
Hanc HERVVARDE *vides, cogisq́ recedere noctem,*
Depulsaq́ iubes nocte subire diem.
Iam tabula ista potest alijs dare Nautica lucem,
Sed lucem tabulæ tu prior ipse dabas.

XXVI.

In CINNAM VIRGILII infelicem Simium.

Aemulus Andinos imitari Cinna cothurnos
Dum cupit, & simili bella ciere tubâ,
Iam repetit , Patulæ quid agas sub tegmine fagi
Tityre, iam lætas quid faciat Segetes:
Iam Phrygiæ arma Viri rauco citat altera versu,
Iam Culicis totum funere claudit opus.
Talia Cinna canit, quoniam Maro talia. Quòd si
Plura Maro caneret, pluria Cinna canat.
Deniq́ tanta subest imitandi cura Maronis,
Vt si speret, eum vincere Cinna velit.
Cinna quid vnius tantū obliuisceris, amens?
Est ea præcipuè res imitanda tibi.
Ille suam flammis aboleri Aeneida iussit,
Alteraq́ Ausonio Pergama obire rogo.

Tu quoq; Cinna iube tradi tua Carmina flammis;
Esse tuo maior Cinna Marone potes.
Sæpè rogata suos illi ignes Roma negabat:
Tu vix incipies Cinna rogare, dabit.

XXVII.

Ad Amicum Phlebotomúmenum.

Cùm plueret facies Hyacinthi sanguine, fusus
Fertur in agnatas sanguis ipse rosas.
Iam quoq; secta tibi pluit vbere vena cruore,
Sidoniusq; linit subdita vasa rubor.
In similes cur ille Rosas non vertitur? aut cur
Hanc Metamorphosin nescit habere cruor?
Scilicet ingenuæ vis impedit indolis illum:
Non didicit Magnus viuere sanguis humi.

XXVIII.

In Calumniatorem flagrorum spontè inflictorum.

Taurea cùm miserè Graios laniaret Ephebos,
Adstabat siccis turba Lacæna genis:
Lætaq; constabant Festalibus ora Puellis,
Frangere cùm Victam iussit Arena gulam.
Et Tunicas poterant pueri spectare Molestas,
Cùm

Cùm ferus Oeteos lusit Agyrta Rogos.
At tu fœmineas ordiris, Psylle, querelas,
Dum Caro nostra suâ vapulat icta manu.
Iam iuuat impensè pertūdere tergora; quādo
Nostra minùs nobis, quàm tibi, flagra dolent.

XXIX.

Infans ludibundus suámet imagine decipitur, Vndisque mergitur.

Trimulus illimem cùm fortè sederet ad amnem,
Et Vitrei pronus cerneret amnis aquam;
Induit, ecce, amnis puerilia Vitreus ora,
Et mendax Puerum rettulit vnda parem.
Ille sibi inter aquas vbi credidit esse gemellū,
Dat socio vnanimes sæpè, petitq; manus.
Extulit hic medijs itidem æmula brachia lymphis;
Et quas ille manus præbuit, iste petit.
Sed neque dum ex alta coiêre crepidine dextra,
Vtraq; cùm cuperet palma coïre tamen.
Amplius ergo suam vt palmam protenderet alter
Pendulus in vitreas ampliùs hæsit aquas.
Extenditq; manus iterū, extenditq;, caditq;,
Præcipitemq; nocens gurgitis vnda rapit.

Deceptus puer est. Sperabat tangere dextram
Dextra parem: ah, longè fortior vna fuit!

XXX.

Iuuenis vt B. Virginem videat, libens oculum amittit: paratus & alterum amittere.

Partheniam Iuuenis sic olim orasse parentem
Dicitur, effusis sæpè rigatus Aquis:
O liceat, Regina, tuos mihi cernere vultus!
Oraq; Cœlitibus visa videre mihi!
Audijt hæc: Oculo sed quo mea videris Ora,
Ora dein hominum nulla videbis, ait.
Ille simul partemq; volens excludere Noctis,
Aspectaq; simul Virginis ore frui:
Læua prematur, ait; pateat fax dextra: videnti
Vnica si superest, vna perire potest.
Mox, vbi partitos oculos in Virgine fixit,
Omnia sunt vno sidera visa loco.
Sol ibi se Solem, Lunam se Luna negauit;
Virginis os oculo Lunaq; Solq; fuit.
At nequijt Cœlestem oculus perferre nitorem,
Dumq; diem vidit, perdidit ipse diem.
Se tamen in tali gauisus obisse Theatro,
Funere, ait, nequij nobiliore mori.

Tunc

Tunc oculum piguit, dextro moriente, sinistrum,
Se quoque cum socio non perijsse suo.

XXXI.

Ad Bambergam tribus sideribus Illustrem.

O inter fluuios amœniores
Fœcundis Aqua marginata Ripis;
Quam torto rotat Alueo beatus
Magnis Arcibus Vrbibusq; Mœnus.
Hîc sublimibus inuidenda tectis
Fulsit Cæsaris Aula quà potentis
HENRICI *bona Virgo coniugales*
Intrauit CHVNEGVNDI *in penates.*
Hîc miracula Cæsarum duorum,
HENRICI, *&* CHVNEGVNDIS: *& duorum*
Hîc miracula Coniugum: & duorum
Hîc miracula Virginum: & duorum
Hîc miracula Cœlitum ô in vnâ
Quis miracula plura vidit Aulâ?
Hos Bamberga colis beata Ciues:
Abscondant licèt Vrbibus propinquis
Sese Cornua Lunæ; & ipse condat
Se Solis nitor: illicò exhibebit
HENRICVS *tibi sémet ipse Solem:*
Et sémet CHVNEGVNDIS *ipsa Lunam.*

Quòd si pluribus indigebis Astris,
Præstabit tibi GODEFRIDVS *Astrum:*
Astrum ô nobile! quale vel micanti
Fixum in pectore cernitur Leonis;
Vel quale exhibet in Sereniore
Virgo verticis ignei Corona;
Vel quale Ætherias subinde monstrat
Stellarum accola Cygnus inter Alas.
Seu quoduis erit ille Sidus, illud
Aeternum tibi Sidus opta & opta;
Tunc nullas tibi patriæq; nullas
Illunes populus timebit vmbras.

XXXII.

Rustica duorum pugna.

Seruijt Heluetico procerus Verna colono,
Grandis ab Aetnea posteritate Nepos;
Hos inter Lis orta duos, hortante Lyæo,
In sua siluestres impulit arma manus.
Sæpè genas alter pugno mulctauit & alter;
Omne tamen pingui pondus inane fuit.
Nam tactas quoties feriebat dextera malas,
Visa ferire merum dextera marmor erat.
Ergo genus teli placuit mutare: Bipennis,
Siqua, vel informis pertica, siqua foret.
Neutra fuit. Suberant Lapitharum è strage molares;

Tàm

Tàm Silicum innumerus quàm lapidum
numerus.
Hinc ſibi tollit onus Silicis prægrande Colo-
nus,
In vernile caput vis quod herilis agat.
Sed iactum vt Silicem ſerui frons dura rece-
pit,
In ſua diſſiliit fruſta minuta Silex.
Nec ſenſêre tamen ſeruilia tempora vulnus,
Sed magis eſt viſus fronte dolere lapis.
Mirum aliud! Dum fruſta cadunt diuerſa
volantq;,
Pars etiã in domini eſt parua reuerſa caput.
Parua ſed ingenti ſignauit vulnere frontem:
Et dubitans ſeruum lædere, læſit herum.
Quid ſcutũ timidi galeamq; obtẽdimus hoſti?
Pro galea propriam Verna habet iſte cutem.

XXXIII.

Cædes Theſſalonicenſis peregrino etiam Mercatori luctuoſa.

Iam meritas dederat gladio plebs Theſſala
pœnas,
Ciuiliq; ſatur ſanguine Cæſar erat.
Irato deerant ſed adhuc duo funera bello,
Quo ſeptem fuerant millia iuſſa peti.
Hîc Pater, ecce, ſua comitatus prole petebat
Proſcripta ſocios hoſpes in Vrbe lares.

Illa tamen gemini vt subierunt mœnia Nati,
Mœnia senserunt facta sepulcra sibi.
Sæuus enim hic vnam sobolem rapit hostis, hic vnam;
Et Numeros, inquit, iam meus Ensis habet.
Inde trahens Natos ; retrahens Pater inde: Quid erras?
Me pete Miles, ait; me trahe, parce meis.
Largior an debet bullire è pectore sanguis?
Largior in patrio pectore sanguis erit.
Grandius an facta est addendum ad vulnera vulnus?
Vulnus in hoc iugulo grandius esse potest.
Dixit; & obiectis ferro simul obstitit vlnis,
Et simul in cædem segnior hostis ijt.
Flectar, ait: sobolem tu voce perire paternâ
Alterutram; alterutrā viuere voce iube.
Ille Oculis vtramq; legens , vtramq; probauit;
Neutra minore Patris digna fauore fuit.
Parcite nunc illi; nunc illi parcite, clamat:
Illa potest meritò viuere, & illa potest.
Rursus in hanc oculos, & in hanc, & vtramque retorquet;
Rursum oculi, quod ament prole in vtraque, vident.

Quid

Quid moror hanc, inquit, defendere? quid moror illam?
Aequus in incerto pectore certat amor.
Et simul hanc tollo, simul hanc Pater abdico prolem:
Quâ seruabo meam voce, necabo meam.
Hæc inter patrio defessus amore satelles,
Aequali sobolem plectit vtramque manu.
Sic dum quæris, vtram tibi serues, perdis vtramque:
Vtq; vtriq; fores æquus, iniquus eras.

XXXIV.

De Eadem, aliud.

Proscriptam faciebat iter Mercator ad vrbem,
Hærebatq; pio turba gemella Patri:
Turba gemella pium sed eò comitata parentem,
Venit in hostiles interitura manus.
Hîc veniam natis genitor vitamq; precatus,
In sua mucrones stringere colla iubet.
Vertite tela Viri; sceleris si quæritur Auctor,
Auctor ego: Pueri nil nocuêre mei.
Sperno preces partim, miles partim audio, dixit:
Dimidium voti, quo potiâre, dabo.

E geminis vnum, pater, elige fratribus. Vnus
E geminis nusquam, qui legeretur, erat.
Hunc mihi legero, ait; perit ille: hunc legero;
& ille.
O scelus! esse pium dum iubet, esse vetat.

XXXV.

IACOBVS Gretserus S. I. sacræ Antiquitatis solertissimus Vindex.

Tandem Vincula Carceremq; passi
In serum redeunt diem libelli!
Digni Solibus Atticis libelli,
Squallebant laceri, manumq; mutis
Poscebant miserabiles querelis.
Iam iam Blatta ruebat, & terendas
Audebat sibi destinare chartas:
Iam iam sordida noxijs parabat
Sacras rodere dentibus Camœnas:
Patratumq; foret scelus; nec vllo
Id quondam Lua diluisset æuo:
Ni magnus radio potente Phœbus
Gretserus properasset à propinquo
Flentes funere liberare Musas.
Quare libera rideat Vetustas,
Hac sub Sole meo eruditionis
Blattis pulueribusq; vermibusq;,
Nocti deniq; carceriq; doctos

Nil audere licebit in libellos.

XXXVI.

DIDONIS effigies, ex Græco.

Archetypum Tyriæ simulacrum cernis Elysæ,
Candida cœlestis cui dedit ora nitor:
Talis & ipsa fui: sed Mens non illa fuit, quam
Affinxit titulis fama pudenda meis.
Nunquã visa mihi Phrygij sunt ora mariti,
Nec meminêre meam Troica bella fugam.
Sed Pudor, vt thalamis violentum arceret Iarbam,
Perculit ingenuâ pectora nostra manu.
Cur placidum egistis mea Musæ in damna Maronem?
Ille meos vestra polluit Arte toros.

XXXVII.

De suis Epigrammatis, in niuea membrana descriptis; ad Lectorem.

Cãdida quòd Niueis amicitur Musa pruinis,
Et nihil externi charta coloris habet;
Nec mea Parrhasiâ lasciuit imagine pompa,
Nec Timanthea ducitur Vmbra manu:
Nec Minio tegitur; Tyrio nec pingitur Ostro;
Sed merus in toto carmine candor inest:
Da veniam, lector; chartæ dabis ipse colorem;

Cog-

Cœperit aspectu quando rubere tuo.

XXXVIII.

De Ioco Timaei, quo incendium Ephesiae Dianæ excusauit.

In celebres ruerent Triuiæ cùm fana fauillas,
Regia Nocturno fana cremata dolo:
Græcus Adulator, Quid caussam quæritis? inquit;
Caussa Diana suis ignibus ipsa fuit.
Magnus enim Macedum satus illa nocte Tyrannus:
Obstetricantem iussit adesse Deam.
Inde suis nequiÿt Diana à sedibus absens,
Sedibus admotas exanimare faces.
Dixit; & applausit dicenti Græcia. Tantus
Ingenuo calor est visus inesse ioco.
Ne turgesce tamen tam effuso Græcule plausu,
Nam ioca, crede mihi, sera fuêre nimis.
Quæ si dicta forent flammis durantibus; ipsas
Extinctura suo credo fuisse gelu.

XXXIX.

De Carmine Matthaei Raderi S. I. Præceptoris sui absentis.

Carmen nobile, cedriâ perunctum,

Ra-

Rasum pumice carmen & politum;
Quod doctas Calamo Raderiano,
Cyrrhæis Aganippidas sub Vmbris
Ausim dicere dictitasse Musas:
Tali Threïcius Poëta quondam
Pantheras traheret tigresq; cantu,
Hoc rictus Libycæ domaret Vrsæ,
Hoc Linces prohiberet inrepertam
Sæuus Vnguibus inuolare prædam.
Hoc pronas raperet sonorus Ornos,
Et toto Nemus auocaret Hæmo.
Iam si quæreret ille grandiores
Vno Carmine commouere moles,
Isto Strimonias ligaret Vndas,
Aut verti refugum iuberet Hebrum;
Isto marmora, Caucasiq; duras
Secum cogeret ambulare rupes:
Isto mœnia fabulosa posset
Septenis iterum admouere portis.
Rem Monstri similem! Quid erubesco
Verum dicere? Iam Radere sontem,
Iam iam dicere me potes profanum;
Pantheras quia, sæuientiumq;
Vinco barbarus ora belluarum;
Vinco Memnonias rigore tigres,
Vinco flumina, cæduosq; montes,
Vinco marmora, Caucasiq; rupes,

Vin-

Vinco mœnia fabulosa, vinco:
Cantus audio qui Raderianos,
Ad nullos tamen ambulo Raderos.

XL.

HVSSIVS comburendus, sese Anserem esse; & ex suo Cinere Cygnum nasciturum, affirmat.

Assyrias memorant Phœnicem animare fauillas,
Claudit odoratis cùm sua fata Rogis.
Nam pretiosa Senem simul hausit flamma Volucrem,
Mox Nouus è flammâ parturiente redit.
Psittacus hanc mortem, Iouis hanc sibi quæsiit ales;
Nec tamen hac felix ille, nec ille fuit.
Talia nunc Anser sibi funera destinat; ire
Dum Reus vlteres cogitur in Cineres.
Me rediuiuus, ait; nascetur ab Ansere Cygnus,
Fœcundusq; meo funere puluis erit.
Vritur inde Senex flammis stridētibus Anser;
Et satus ex illo funere Coruus ijt;
Deterior Soboles ipso Patre. Falleris ignis;
Qui dum Monstra cupis tollere, Monstra paris.

XLI.

XLI.

De Morte MATTHAEI diuitis Hæretici.

Matthæus fœtente Nepos è fece Lutheri,
Cui propè Crœseâ ditior arca fuit:
Fatali cùm membra toro moribunda rotaret,
Frigeretq; suas iam situs ante fores:
Atra domum Nebula & Nox intempesta tegebat,
Nec via, quâ fugiens spiritus iret, erat.
Emersêre proin' vicino è limine flammæ,
Hauseruntq; tribus proxima tecta rogis.
Admirata nouos vicinia flebilis ignes,
Hæc, ait, è nullo fulmine flamma venit:
Nec per Nocturnam creuêre incendia fraudẽ;
Quænam igitur caussa his ignibus esse potest?
Vna potest: Matthæus eâ reperire lucernâ
Ad Lethæa suam debuit antra Viam.

XLII.

In malum poema, picturis vulgaribus inclusum.

Defuit ingenium Vati: Succurrere Pictor
Debuit; & chartas Arte iuuare Color.
Si neque sic Vates poterit Pictorq; placere;
Quærendus Chartis deniq; Tinctor erit.

XLIII.

In LVBINVM spurcæ Poesios Propugnatorem.

Roma vetus Calamos Chartasq́; Cupidinis omnes,
Vsq; Tomitanos iusserat ire sinus;
Nunc iterum Spurca rediuiua volumina Musæ
Sanctior in Cineres Roma migrare iubet.
Audit, & , ô fontes, Lubinus clamat, & imbres,
Plectite Romanos vindice rore focos!
Cum Nudo vates Nasone crematur Aquinas;
Igne perit, quicquid Nomen Amoris habet.
Ferte citi Lymphas; date libris flumina: toto
Tibris inhumanos obruat Amne rogos.
Sed Tiberina suos Oranti denegat imbres;
Et negat Vnda suos Martia; Virgo suos.
Quid Lubinus agat? Iam fumus pergit, & Ignis.
Dum miser vsque pigram clamat & vrget Aquam.
Serum, ait, his flammis alienas poscere lymphas;
Dixit; & ex oculis proprius imber ijt.

XLIV.

XLIV.

AD CHRISTOPHORVM insignem Amicum.

Magnus Robore miles & lacerto,
Cùm vastum pedes (vt ferunt) frequenter
Sicco poplite permeasset æquor,
Et Christum (licèt inscius) per altas
Subiectis humeris tulisset Vndas,
Cœpit Christophorus dein vocari.
Tu, qui fers humeris tuis Iacobum,
Illum, illum, inquio, pessimum Iacobum,
Qui tot tædia, ponderumq́; tanta
Ceruices iacit in tuas talenta,
Et maiora tibi & molestiora
Semper congerit, ingeritq́; semper:
Illum, illum, quia sustines Iacobum,
Et fers tam patienter & libenter,
An Iacobophorus cupis vocari?

XLV.

In HERMAM mendacissimum Scriptorem.

Lingua ter antiquos cùm mendax falleret Indos,
Tertiaq́; infami solueret ora dolo;
Iussa fuit Samio taciturna senescere ritu,
Et clausis vitam ducere muta labris.

Non

Non eadem est Calamis nunc lex mendacibus
Herma;
Hinc etiam Quatuor scribere Verba potes.

XLVI.

Turpitudo Hæreseos Caluini.

Tanario viden' ut facies emergat ab antro!
Vt nocuo attonitum nubilet ore diem?
Multa per euulsos lasciuit Vipera crines,
Perq; manus errat Vipera perq; sinus.
Lerneoq; acies sua tela trisulcat hiatu,
Fœtaq; liuentes efferat Hydra iubas.
Cantaber vltorem spargit tamen obuius ignẽ,
Et Caluam Hesperio fulmine terret Anũ.
Quid Vetulam terres ostenso fulmine? Viso
Terreri speculo rectiùs illa potest.

XLVII.

B. AGATHAE festus dies HENRICO Illustrissimo Principi Natalis.

Lactea crudelis cur amputat vbera forceps?
Virgineoq; cadit secta papilla sinu?
Iudicis ira iubet: sed iniqui Iudicis ira,
Vbera cui nunquam præbuit vlla Parens:
Cui sua Nutrices admorunt vbera tigres,
Sæuior aut vicit bellua siqua tigres.
Non tamen insonti sons obfuit ira: sed illi
Reddita cœlesti sorte papilla fuit.
Miratus sum sæpe, foret quæ caussa: quòd isto

Vbera

Vbera erant Agathæ tota repensa die?
At genitum pòst quàm tali te luce videbam,
Henrice, ô Patriæ fama futura tuæ,
Mirari porrò nequij: Modò cognita caussa est:
Debita erat Cunis illa Mamilla tuis.

XLVIII.

In Calumniatorem Anonymum.

Qui fanum Triuiæ funestâ nobile flammâ,
Laudatasq; Asiæ scurra cremauit opes,
Non iræ studio, sed famæ captus amore
A magno voluit Nomen habere rogo.
At stolidum Vindex vt Græcia plecteret, illud
Immemori iussit Nomen ab Ore premi.
Tu paribus diuina cremas humanaq; flãmis,
Qui sacra Tartareo iura furore trahis.
Flammiuomos pandit tibi sueta Kalumnia rictus,
Infestoq; omnes rodere dente iubet.
Fallor, an è tali quæris tibi crimine Nomen?
Non faciam tibi, quod Græcia fecit: Habe.

XLIX.

Cædes miserabilis inter amicissimos fratres per somnum facta.

Vna duobus erat sopitis fratribus Vmbra,
Atq; inter fratres Mens erat vna duos.
Hic illum Pyladen, hunc ille vocabat Oresten:

Ille

Ille suum meritus Nomen, & ille suum.
Clauserat Vnanimi hic atq; hic sua lumina somno,
Sperare Vnanimem iussus vterq; diem.
At cœpêre statim temeraria ludere mentem
Somnia, Nocturnis ingeniosa dolis.
Nam propior Morpheus adsistere visus Oresti,
Credula mentito terruit Ora metu.
Sæpe ferox illi minitatus Vulnera; sæpe
Tela cruentatam per repetita Necem.
Non tulit hanc Iuuenis (placidæ licèt indolis) iram;
Sed rapit ignarâ seria tela manu.
Inde minas, & tela minis alterna reponit,
Versaq; ludicro vulnere terga notat.
Victa proin' capit Vmbra fugam. Sed victa ferocem
Infami Iuuenem decipit Vmbra fugâ.
Instat enim, sequiturq; ferox: dum denique pulsa
Inter contiguos abditur Vmbra toros.
His Pylades inerat, gemini pars altera fratris;
Quem malè securum iusserat esse sopor.
Visus hic hostis erat, teloq; errante petitus,
Quaq; petitus erat parte, peremptus erat.

Suê-

Suêrunt ipsi hostes iram deponere somno:
Irasci fratres cur male somne doces?

L.

Votum Pauperum pro GVILIELMO liberalissimo Sene.

Cana licèt placidi se prodat Verticis ætas,
Et Pylias monstrent tempora picta niues:
Sola tamen lentæ Manus est ignara Senectæ,
Lassariq; dato munere dextra nequit.
Viue tibi Guilielme, (precor Plebs indiga) viue:
Aut Tibi si renuis viuere, viue mihi.

LI.

In Hæreticum mendacem Societatis criminatorem.

Ausoniâ scripsit Batauaq; volumina linguâ,
Cùm mores cupijt scurra notare meos.
At ne quem fugeret, linguæ esse vtriusq; peritum,
Auctori Lector quisq; monendus erat.
Quare in fronte libri docet ipse, Librum esse bilinguem:
Dicere quod Lector debuit, Auctor ait.

LII.

Ad optimum amicum.

Offendam licèt vsq; & vsq; & vsq;,
Et pœnas Tityiq; Sisyphiq;,

Et plaustrum merear piaculorum;
Pœnas nec tamen indis has nec illas,
Pœnas heu meritas & has & illas:
Sed pacatior ipse leniori
Pergis crimina vindicare mulctâ,
Et parcis mihi plura sæpiusq;,
Et donas bona plura crebriusq;,
Quàm si nunquam ego puniendus essem.
O qualis modus iste vindicandi est!
Non punit modus iste vindicandi
Multo sanguine, sed rubore multo.

LIII.

In FAVSTINVM spurcissimum interpretem.

Quicquid Labdacidæ peccant Connubia: quicquid
Nouit Agenoreo rapta puella sinu.
Quicquid Aquinates formidant carpere morsus,
Quicquid Pelignis dicere Naso timet:
Prodit, & infami Faustinus margine vulgat,
Et quos Faustino non pudet esse pares.
Orgia sola probant, & Operta, & sacra Cotyttus,
Et quæcunq; vetus lustra December habet.
Dedoceas Veteres si lasciuire Poetas,

Est Rhadamanteo pœna luenda foro.
Prætextata loqui nisi suêrit charta Latinè,
Charta Ixionijs est laceranda rotis.
Iulia quæ prohibet, quæ lex Scantinia plectit,
Sola putant calamis non aliena suis,
Parce verecundo tandem Faustine rubori,
Et noli nobis scribere quicquid agis.

LIV.

De Apiculis ab Araneâ interceptis.

Mellilegas felix onerârat præda Volucres,
Trinacrio passim præda petita thymo:
Iamq́; fatigatas redolenti pondere, nota
Ad solitos iussit lex reuolare lares:
Pendula telarum cùm rete tetenderat ingens,
Quod de visceribus nêrat Arachna suis.
Insidiasq́; locans Apibus reuolantibus, illas
Cepit, & hærentes exanimauit Apes.
Quas gula delicias affectat? Aranea Muscas
Nauseat, Hybleas iam quoq; poscit Aues.

LV.

ANASTASIVS Synaita è Græco in Latinum versus.

Argolico quondam vulgâram scripta Cothurno,
Hæresis Argolicos cùm violasset Auos:
Nunc Voces etiam didici formare Latinas,
Impietas Latio dum rotat Ora sono.

Si noua Lingua meo toties discenda Libello est,
Crimina cùm Linguas addidicêre nouas:
Desinite ô plures mala Sæcula discere Linguas,
Plus satis est Linguas iam didicisse duas,

LVI.

Epitaphium carmen, in funere RABI seu CORVI, desertoris Monachi.

Occidit infelix Caperatæ Rabula gentis
Coruus, ab effossâ non bene tectus humo:
Qui sacra ferali temerare silentia Cantu
Ausus, in infernas præcipitauit aquas.
Ite nigræ Volucres, meritos intendite luctus,
Cum Coruo vestri pars quoq; magna perit.
Inferias Coruo da Corue, rotaq; relictâ
Ad Cognata tuus funera questus eat.
Et quoniam stygijs animum reuocare cauernis
Non potes; hoc facias, quod potes, Ossa legas.

LVII.

In LERNEVM publicum Calumniatorem.

Monstrum horrendum, informe, ingens, puto, dixerat olim,

Lau-

Laudabat formam qui, Polypheme, tuam.
Vatibus hæc Priscis licuit sibi fingere Monstra,
Nostris nulla licet fingere; Vera vident.
Aspice Lerneum: Monstro spectabis in vno,
Lerneas quicquid sibilat inter Aquas.
Mille per exsertam dispergit Toxica linguam,
Et quò plura vomit Toxica, plura coquit.
Liuet, & afflatu funesto quæq; venenat,
Et cùm fessa nequit lingua nocere, cupit.
Fallimur, enectam qui Lernæ credimus Hydram:
Tu Lernee vetas credere, Viuis adhuc.

LVIII.

IACOBO Cognomini Poetæ,
Votum Natale.

O & Castaliæ Sititor Vndæ,
Et Largæ Bibo creber Hippocrenæ;
Natales age Iulios, diemq;
Hunc & Mensibus antepone & Annis,
Quo Nasci tibi contigit, Iacobe;
Et Curas iube abesse tetricasq;
Omnes ex Animo repelle Nubes:
Ludant Gaudia sola; & Ambulanti
Occurrant ea semper, & Sedenti.
Adsint Aonides, iuuentq; terso

Carmen nobile parturire versu:
Carmen, quale soles iocante nutu
Tunc effundere, non times suaui
Cum contendere lætior Catullo;
Aut cum Bilbilin; aut Tagi sonoros
Certas vincere grandior Cothurnos:
Tali Carmine lude nunc; & istum,
Quo nasci tibi contigit, futuris
Mensem Mensibus antepone & Annis.
Herodes licèt impiam securim
In magnum paret impius Iacobum,
Et vecors odio laboret Vnum
Mensi tollere Iulio Iacobum;
Dum tu nasceris, alterum alterumq́;
Audit viuere Iulio Iacobum.

LIX.

De funere PHILIPPI Catholici Regis.

Terrarum dominum lugebat Terra Philippum,
Cùm Patria exanimem fleret Ibera Patrem.
Quam simul assiduo tundentem Pectora plãctu,
Talia cum planctu dicta dedisse ferunt:
Plurima cùm posses vtrumque, Philippe, per orbem,

Plus

Plus tamen ut posses, vouit uterq; tibi.
Sed pòst quàm letho te posse occumbere vidit,
Orbis te cupijt posse, Philippe, minùs.

LX.

Votum Pauperum pro ELISABETHA, liberalissima Principe.

Quicquid turba sua ieiuna vouebat Elisæ,
Prodiga cùm saturas ferret Elisa dapes;
Aut inopum textâ prohiberet frigora lanâ,
Aut vacuos largo pasceret ære sinus:
Aut mendica mero perfunderet ora falerno,
Spargeret aut totum corpora in ægra penũ;
Pauper idem tibi turba precor. Nam quicquid Elisa
Illa suis dederat; das & Elisa mihi.

LXI.

Zvvinglius iurat, suam se doctrinam per somnium didicisse.

Dormijt Ascræus Parnassi in culmine Pastor,
Et subitum Vatem iussit abire Sopor.
Alter in Helueticis vbi cautibus obdormiuit,
Continuò Vatem fertilis Vmbra tulit.
Zvvinglius ille fuit. Qui dum Vigil angitur olim,
Vulgatum populo quâ probet Arte scelus:

Desperat Vigilans; Somnum ergo consulit: & mox
Doctorem ex voto somnus & vmbra dedit.
Vellit enim auriculam sopito Larua: sed illa
Sciri quæ fuerit, Candida an Atra, nequit.
Illa repentè Viro curas exhaurit inanes,
Omniaq; vnum illũ scire Magistra iubet.
Zvvinglius inde Vigil sciјt omnia: qualia nemo
Nec Vigilans docuit, nec Vigilans didicit.
Lætior ergo suos inuisit manè tribules,
Quæq; illâ potuit discere nocte, docet.
Vtq; probet certa esse, esse omnia somnia iurat:
Somnia ne iura; credimus: esse nega.

LXII.

S. SOPHIA, Fidei, Spei, Charitatis Mater.

Tres peperi obstetrice parens Virtute puellas:
Vna puella fuit Spes; fuit vna Fides.
Tertia legitimi tulit æmula nomen Amoris;
Nec tria cassa suis nomina rebus erant.
Deniq; Virtutes peperi, quot pignora. Solùm
Debuerat partus crebrior esse mihi.

LXIII.

In Medicum hæresi Caluiniana furiosum.

Nescio

Nescio quis Medicũ furor incurabilis armet?
Inq́; nouam rabiem tristis Erinnys agat?
Viscera si nocuâ tumuissent læsa Rubetâ,
Te posset medicas, Psylle, rogare manus.
Nunc date, si qua liquant meliores germina succos,
Si qua peregrinas insula sudat opes;
Dicite, si quid habet Natura potentius: iste
Sanari tritâ non solet Arte furor.
Nõn huic Veratri prodest vis vllá cerebro,
Euacuet totas iam licèt Anticyras.
Et iuxtà serum est, mediam pertundere venam;
Non vna hunc morbum vena, sed omnis habet.
Quid faciam? dices; furor est à sanguine toto,
Caussa igitur morbo tota adimẽda tuo est.

LXIV.

In Chrysopoeum impostorem.

Sidera septenis præsunt septena fodinis,
Contentus venâ quisq; Planeta suâ.
Nobile sub terris generat Sol igneus Aurum,
Argentumq́; recens frigida Luna parit.
Martius abstrusis Ferrũ erro meatibus infert,
Plumbea Saturnus crescere dona iubet.
Progenerat Stannũ Saturni maximus Hæres,

Succina Mercurius percoquit, Æra Venus.
Octaui nuper fornacula prodijt Astri,
Aurea quæ facili folle metalla liquat.
Sæpe fluunt simul inde Auri duo magna talenta,
Sæpe tria; interdum quattuor inde fluunt.
Vidistin' tu illis fluere, inquis, ab ignibus Aurum?
Non: Quia cùm vellem cernere, Fumus erat.

LXV.

Ad Eystadium duobus Tutelaribus clarum.

Eystadi nemus, ô nemus! beatis
Cœli Ciuibus inclytum; & gemellis
Tutelaribus olim amatum. In illo
Tu sacrâ VVilibalde cum tiarâ; &
Tu sacrum Soror æmulata fratrem
VValpurga incolis. Alterum inquilini
Patrem agnoscite Ciuium: alteramq;
Vos, quotquot thalamosq; nuptiasq;
Christo cedere Virgini iubetis,
Matrem agnoscite Virginum. ô vtroq;
Felices nimis incolas parente!
At qui nunc itidem istud inquilini
Tantorum colitis nemus parentum,

Et

Et colles nemoris, cauasq; valles,
Sic vos viuite, sint suis vt ambo
Felices etiam incolis parentes.

LXVI.

Eques nobilis post orbem peragratum, domi suæ mortuus.

Quid mihi, Nile, tuas transmittere profuit Vndas?
Vltraq; extremos Persidis ire sinus?
Quid Syriam, & campos Solymæ vidisse ruinæ,
Omnia quæ vidi, me docuêre mori.
Fracta suas monstrant Babylonia marmora clades,
Et sua Contritus fata Colossus habet.
Pyramis aërias feriat licèt ardua Nubes,
Ipsa tamen tumulum se videt esse sibi.
Ipse redux, vitam patriæ inter limina perdo,
Et quæsita foris Parca reperta domi est.
Vanum erat hoc tantis terrarum ambagibus vnum
Discere: Momento patria me docuit.

LXVII.

De BAVII desperata insania.

Turbassent Bauium cùm tetrica somnia, quari
Pæoniam extemplo iussit Anhelus opem.

Conuenêre Viri, Podalyria turba; Galenus,
Clinicus Herodes, Symmachus, Hippocrates.
Solliciti frontemq; manu, venamq; retentant;
Sed neq; frons illis, sed neq; vena placet.
Ite citi, vnanimes conclamant: ite: liquores
Si quid habent; herbæ, quærite, si quid habent.
Continuò properatur. Adest Aesclepius humor,
Lectaq; in Hesperijs herba Cacuminibus.
Ignotæ veniunt peregrino à littore vires,
Intima ab Hyblæo flore medulla venit.
Quid memorem? Bauio dum mentem reddere quærunt,
Nil reliquum Chiron, nil tibi Cosme facis.
Siccauit veteres sananda insania Baias,
Anxuris epoto vanuit Vnda lacu.
Anticyrã exhausit validi vis improba morbi,
Insulaq; absumpto languit Helleboro.
Falleris, & frustra toties Medicina laboras:
Vis mentem Bauio reddere, danda fuit.

LXVIII.

In Linum insignem Veteratorem.

Commentis solitus Tarpeiam ducere Plebem,
Et vafra consutis ora mouere dolis,

Ius-

Iussus ab irato dependere Cæsare pœnam est,
Vanaq; vindicibus dicta piare rogis:
Et titulum præferre necis: Qui vendere fumos
Sueuit, eum in fumos Cæsar abire iubet.
Si tali tibi ducta foret sub Cæsare vita,
Quantus iam pridem tu, Line, fumus eras?

LXIX.

Ad Pictorem, qui mensæ muliebri vinum appinxit.

Depingis geminam duplici cum Sigmate mensam,
Inde tuæ mensam Coniugis, inde tuam.
Sed Cyathis tua mensa caret; Muliebris abundat:
An tua te, pictor, pingere mensa docet?

LXX.

In Pictorem imperitum.

Iussus erat Vernæ gemmantia tempora Floræ
Pictor, & æstiuæ pingere rura plagæ.
Pinxit Anum medios & flores inter & hortos.
Ex æstate mihi facta videtur Hiems.

LXXI.

Mensis October, cum insignibus, pictus à paupere Pictore.

Vitiferam prædatur humum, Bacchumq́; triumphat,
Ebriaq; in prælo prælia Mensis habet.
Sed sitit in madida Pictor siccissimus arte;
Iam, puto, picturis inuidet ille suis.

LXXII.

Græcis Adramyttenis PETRVS Latinus Episcopus præficitur.

Quà quondam vberibus læta inter Gargara prati
Ire saginatas Græcia vidit Oues,
Illàc arentes hodie sterilescere Campos,
Et fœtam lolijs surgere cernit humum.
Non veteres ea Terra greges, non ostia Caulæ
Tuta peregrinis cernit ab insidijs.
At Romana gregem videt inter pascua tutũ
Eminus; & nullus peruium Ouile feris.
Ah! quantum est discrimen? ait: Raptoribus omnis
Ecce meus patuit grex, perijtq́; lupis.
Ausonius sed nulla timet grex dãna rapinæ:
An quia Pastorem grex habet ille Petrum?
Petrum habet. ô tali duce pascua læta! iubeto
Talem etiam gregibus, Christe, præesse meis!
Audijt optantem DEVS; &, quò tutior esset
Græcia: Iam Petrum tu quoq;, dixit, habe.

Hoc

Hoc Pastore proin' quia gaudes Græcia Petro,
Altera iam fieri tu quoq; Roma potes.

LXXIII.

De HELIOTROPIO, solari flore.

Flos ego, Pæstani non vltima gloria prati,
Et Corcyreo regulus in nemore;
Nomen ab agnato Phœbi traho sidere; præquo
Narcissi nollem nomen inesse mihi.
Illud ego comitor, nullo tamen impete, sidus,
Cœlumq; obtutu metior omne meo.
Nunquam Memnonio sine me eluctatur ab Ortu,
Nec subit Occiduas me sine Phœbus aquas.
Dum tamen illius passus sine passibus æquo,
Nunquam è Natali pes mihi cedit humo.
Quod nisi Terra pedes pedicis includeret; olim
Stellatos traherer totus ad vsq; choros.
Sublimi cursum quid Solis in æthere quærunt
Astrologi? hîc humili in flore videre queũt.

LXXIV.

Ad MARTINVM sacræ Antiquitatis sedulum Assertorem.

Si qua Promethea viuunt monimenta Senecta,

Si qua

Si qua latent serâ scruta refossa manu:
Si quis adhuc Baculus, veterúmve Cucurbita restat,
Aut aliquod Senij litera Nomen habet,
Quæritur; & Libycis hodie contenditur aruis,
Atq; Corinthiaco iam magis ære placet.
Non ita captatur Phryxæi lana Draconis,
Non ita de Persis eruta præda iugis.
Ista profanatas sequitur si gloria TRICAS,
Et prodest Apinis vana senecta suis:
Cœlestes studio meliore inquirere chartas,
Et sacra maiorum postuma habere libet.
Tu Martine, locis illa omnibus omnia dudum
Siue iubes Orbi reddere, siue iuuas.
Nam veneranda tibi studium est gentile vetustas:
Visq; tuis similes moribus esse libros.
Sic tu de Priscis, & de te Prisca merentur;
Et quia prisca legis facta, legenda facis.

LXXV.

De Caupone Lugdunensi.

Vina Falerna dolo vitiârat Caupo, meracos
Lymphato solitus fonte rigare cados.
Hoc studio corrasit opes; quibus omnibus illi
Pensilis è collo farta Crumena fuit.

Fortè

Fortè sui securus iter carpebat hic, vndis
Gallus vbi patrijs littora lambit Arar:
Cùm prædatori conspecta crumena volucri,
Maturæ visa est esca futura fami.
Miluius ergo ruens properati fulminis instar
Vngue graues loculos insidiante rapit.
Sublimisq; iterum rapta citus auolat esca,
Oraq; in erepta tentat adunca dape.
Restitit indomitum rostris luctantibus aurum,
Vncatosq; tenax lusit aluta pedes.
Ergo iterum rostro loculos, iterum vngue retentat;
Atq; iterum rostro nil agit, vngue nihil.
Quare onus omne fami dum sentit inutile, rostro
Impatiens totum vindice damnat onus.
Iratoq; grauem dimittit ab vngue crumenam,
Et medijs pondus nobile mergit aquis.
Iuris amans Auis ista fuit: Nam Iudice Miluo
Quas Vndæ dederant, Vnda recepit opes.

LXXVI.

De Voluptate profana.

Turba Medusæi capitis speculata Chelydros.
Pœnas aspecto Gorgonis ore dedit.

Nam

Nam simul ac formæ deformia viderat Ora,
Amisit formæ quilibet Ora suæ.
Cernis, vt exangues ibi tollant Marmora vultus?
Tendat & exanimes muta figura manus?
Antè homines fuerant; nunc in mera saxa Medusæ
Aspectis homines diriguêre comis.
Terra, voluptatis mala quid mihi gaudia suades?
Creditur illa oculis esse Medusa meis.
Si spectâro, Silex spectatâ reddar ab illâ;
Ne Silicem me ergo reddat, ero antè Silex.

LXVII.

In IVDAM, malum Mercatorem.

Impius insontem quo vendidit ære Magistrum,
Hoc laqueum Iudas quæsiit ære sibi
Si sperare lucrum Mercator stulte volebas,
Vendendus laqueus, Christus emendus erat.

LXXXVIII.

Ad Militem, CHRISTO laqueum inijcientem.

Quid laqueum properas alieno imponere collo?
Seruandum nescis esse monile tuo?

LXXIX.

LXXIX.

Ad Academiam Herbipolensem, cum Dilingana concordem.

Musarum domus, & Politiorum
Sedes nobilis artium: Iuuentam
Quæ fræno regis; atq; Apollinari
Ornas belligeros honore Francos:
Seu dici titulo Latiniori
Artaunum cupis, & vetustiori;
Seu, (quod gratius esse suspicamur)
Mauis Herbipolis recente vocis
Mutatæ titulo vocari: Adesto,
Atq; à Collibus vuidis amœni
Vultum auertere ne grauare Mæni,
Grato lumine paullulum Sueui
Donec littora peruageris Istri.
Illic Aonidum simillimarum
Sedes altera visitur Sororum:
Sedes altera, quæ pari Iuuentam
Hinc freno regit, hinc nouâ vetustos
Pergit cingere Laureâ Sueuos.
Parnassi modò duplicem licebit
Montis dicere Verticem; nec illam
Partem cedere Libero, nec illam,

Dum

Dum concordibus illa & illa votis,
Vni seru t Apollini; sed illi
Vni seruit Apollini impudicis
Qui pro moribus imperat pudicos:
Et per Pierios dehinc Canales
Incestas prohibet meare Lymphas.
Hæc Francos decet, hæc decet Sueuos
Musarum domus vtraque; alterumq́;
Sedes altera diligit Lyceum:
Dum Phœbus meliorq́; sanctiorq́;
Musarum chorus, & Minerua, vtroq;
Concordes dominantur in Lyceo.

LXXX.

Ad ANDREAM, singularem Amicum.

Christus vbi Andreã Galilæo in littore vidit
Squammigeros inter pandere Lina greges;
Protinus assuetis exscendere iussit ab Vndis,
Et noua cœlesti sub duce signa sequi,
Audijt Andreas, piscesq́; repentè ratesq́;,
Et fastidita Lina reliquit Aquæ.
Tu contrà; neq; lina priùs, neq; flumina nô-
ras,
Ac nullas priùs es suetus habere rates:
Sed simul in Christi vestigia iussus es ire,
Totus amas pisces, flumina, lina, rates.
Ergo vel Andreas mihi desine porrò vocari;

Vel

Vel certè Andreæ lina relinque mihi.

LXXXI.

In funere liberalissimi Principis.

Sæua barbaries cruenta Parcæ
Nunquam Vulnere tot peremit vno:
Nam quo vulnere Principem petiuit,
Omnes barbara pauperes peremit.

LXXXII.

In LITHVM Caluinistam, stomachantem contra triplicem Hostiam, in Boica monstrari solitam.

Dum sacra Boiarij panduntur Lipsana montis,
Pandit ter geminos Hostia trina sinus:
Tot mihi cùm pistæ demonstret liba farinæ,
Cur non & Calices Boica monstrat? ais.
Ne Lithe quære; Timet. Nam quos monstrare parabat,
Dum Mercatorem te putat esse, tegit.

LXXXIII.

De CONRADI Imperatoris expeditione pro Cruce recuperanda.

Conradus diadema regiosq;
Tantisper iubet exulare fasces,
Et sceptrum procul ire feriatum,

Dum

Dum magno pietatis actus æstu
Per terras ruit inuias, ferumq;
Totis Nerea classibus fatigat.
Dixisses Libycas peti rapinas,
Aut è Memnonijs superba prædis
In nostros redigi metalla census,
Aut dites Asiæ erui fodinas.
Crux tantis petitur sed vna curis,
Vt quam purpura Cæsarumq; fastus
Condemnauerat antè, nunc adoret.
Sæcli incommoda Commodi, Nerones
Et Flaui furor vltimi, & flagella
Periuri rediuiua Iuliani,
Insanite; suum potest Tyrannis
Crux opponere Cæsarem; redite.

LXXXIV.

De GODEFRIDO primo Hierosolymorum Rege.

Hic est ille Syri domitor Tullingus Orontis,
Primus Idumæas qui reparauit opes.
Sestiacæ primus traiecit Bosporon vndæ,
Ferret in Abdaridas victor vt arma duces.
Non illum Phariæ stimularunt iugera glebæ,
Non illum Tyrij barbara præda freti.
Sed Solymæ turbata quies, auumq; sepulcri

Lugu-

Lugubre, & amissæ trabs inhonora Crucis
Mox reserauit vbi iusto sacra limina bello,
Ah quoties fusis limina lauit aquis?
Ah quoties inopem ditauit prodigus Aram?
Et trepido captam poplite pressit humum?
Quod meruit primus, primus diadema refugit,
Nec tetigit iussa sceptra recepta manu.
Grande putent alij diademata quærere Reges;
Grandius, in Regno spernere Regna, fuit.

LXXXV.

De Manu liberali diuitis defuncti.

Expensis redimi si possent funera nummis,
Par erat hâc redimi funera posse manu.
Argenti tam larga fuit manus; vnicè vt illas
Duceret esse suas, quas tribuisset, opes.
Et tamen hanc inflexa manum mors abstulit orbi,
Cœlestesq; illam iussit habere plagas.
Hoc placet, ô Superi! sit mors inflexa, precamur:
Si flecti vellet, sæuior illa foret.

LXXXVI.

LXXXVI.

Tumulus CAVSIDICI celebris.

Qui Legum famosus eram Iurisq; peritus,
Causidico gnarus tollere bella foro:
In modica iubeor longùm requiescere tumba,
Heu, linguæ, heu famæ flebilis Vmbra meæ.
Nil prodest didicisse alias componere Lites:
Nil veteri Leges condere iure nouas.
Intendit Mors lege sua mihi deniq; Litem,
Hei mihi! cur vnam hanc soluere non didici?

LXXXVII.

De FRIDERICI Aenobarbi interitu.

Cùm Sueuas traheret Fridericus ad æquora turmas,
Cui rubra cognomen nobile barba dabat;
Territa tota sibi diffidere cœperat Eos,
Inq; suis nusquam credere Asyla iugis.
Iam vetere Pharos, & Babylonia mœnia fastum
Ponere, & imbelles tendere Bactra manus.
Christiadûm contrà sibi visa resurgere plebes,
Certa salutiferam vi reparare Crucem.
Nec decepta foret, nisi ahenam barbara barbam
Vidisset properâ Turba perire Nece.

Vnda

Vnda fuit, gelido quæ Cydni fluxerat alueô,
Iam dudum in magnos vnda maligna duces.
Obfuit illa olim Pellæo (vt fertur) Alumno,
Membra ibi cui subitò diriguêre gelu.
Nunc idem peperit Friderico funera Cydnus,
Obruit incautis quem violentus aquis.
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,
Sat citò mersisset, cùm rediturus erat.

LXXXVIII.

Ad RICHARDVM Regem Anglorum in Palæstinam ducentem.

Bella paras Syrijs longinqua Richarde tyrannis,
Vt captam plebes asserat Angla Crucem.
O secla, ô mores, sobolesq́ parentibus impar!
Nunc plebs assertas diruit Angla Cruces.
Parcius illa Syras irritant signa cohortes,
Hebræasq́ mouent parcius illa manus.
Ira Britanna Crucem ferro rapit, & trahit vnco,
Infamiq́ petit nostra tropæa ioco.
Et ne qua exemplis insania barbara desit,
Sacrilego sacram damnat in igne trabem.
Parce Richarde Crucem Syriæ subducere saluæ,

Hic erat; in Regno nunc perit illa tuo.

LXXXIX.

Ad Pictorem, de Epigrammatis in pura candidaque charta descriptis.

Miraris nullos in versibus esse colores
Pictor! Et in niveo carmina nuda solo!
Caussa tua est: Siquidem Minio qui vellet Apelles
Carmina gratuitò pingere nullus erat.
Zeuxida quærebã; fugiebat carmina Zeuxis,
Parrhasium volui; Noluit ille tamen.
Artificum quare cum Vatem nemo iuuaret,
Auxilium Vati deniq; nullo tulit.

XC.

De Epigrammatis meis in alba charta descriptis; iuxta aliena colorata.

Albet pagina, candidaq; velant
Nostri Carminis aream pruinæ;
Nam vicinia purpurata totas
Pictorum vacuauit vt tabernas;
Ex omni numero omnium colorum,
Duntaxat mihi candidum reliquit.

XCI.

De ijsdem.

Dum crebri simul hinc & hinc Poëtæ
Depictis Epigrammatum tropæis

Alter vincat ut alterum, laborant;
Quaris, cur mea Musa nolit ullos
Fronti figere simplici colores?
Sed solâ Niue, candidoq; totum
Malit claudere carmen Vmbilico?
Dicam: In Pieria foro iuuenta
Carmen debuit esse candidatum.

XCII.

De FVLCONE, Rege Hierosolymorum, equi lapsu occiso.

Tertius Eoi Fulco diadematis hares,
Et, mea si numerem pralia, primus eram.
Arma rotare Viros docui; docui agmina magnos
Pro Cruce seruanda centuriare duces.
Ac nisi regna forent patrio mihi robore parta,
Regna forent eadem robore parta meo.
Sed dum latus equo curisq; solutus oberro,
Ipse meo victor deniq; vincor equo.
Vestra quid ô Reges fore funera lenta putatis?
Vt properaret, Equo mors mea vecta fuit.

XCIII.

De S LVDOVICO Rege Gallorum.

Inter Idumea Ludouicus damna potitas
Vt Cruce barbaricas audijt esse manus:
Liligeri abijciens inhonora cacumina serti,

Et trabeam, & Tyrio vellera pota cado.
Quid pæstana iuuent mea me violaria? dixit:
Quid mea gemmato nobilis Aula tholo?
In miseris squallet si Crux mea sordibus; inter
Eoas vertex dum meus ardet opes?
I nitor, î Regum decus, î graue dedecus Aurum;
Nunc alio cultu Regia vestis eget.
Ite Palatini laquearia gemmea tecti,
Tecta crucem captam Sardonychata decent.
Mutentur gemmæ vt vinclis, & vincula gemmis,
Detur Gemma cruci; sed mihi vincla crucis.

XCIV.

BALDVINVS Hierosolymæ Rex, ad Germanos.

Lunatæ peterent cùm mœnia sacra Phalãges,
Purpureæ opposui robur inerme trabis.
Mox omnes trepidare, pedemq; referre cohortes,
Et fugere obiectam barbara Luna crucem.
Cur nũquam vestris fugit à Legionibus illa,
Pannonios hodie cùm populatur agros?
Hæresis offundit tales, Balduine, tenebras,
Vt nullam videat Thracia Luna crucem.

XCV.

VRBANO II. recuperata; Vrbano III. amissâ Palæstina.

Iesseiam Vrbano regnante recepimus Vrbem,
(Christus vbi crebram sanguine lauit humum:)
Natalemq; domum, (teneros vbi Numinis annos
Agnouit trepido bucula flexa genu:)
Et Montem, & magni Lignum admirabile Montis,
Quæq; sacræ custos marmora Mortis erant.
Cepimus Vrbano simul, inquam, hæc omnia: rursum
Vrbano simul hæc omnia perdidimus.
Quid fuerit caussæ, ne quærite: Tertius iste
Inter Pontifices; ille Secundus erat.

XCVI.

De S. LVDOVICO Episcopo, Castitatis Exemplo.

Reginâ licèt imperante, non vult,
Non vult crimine se notare, non vult:
Sed perstat Ludouicus, & potentis
Spernit delicias, minasq; Lenæ.
Seu promittat opes; opes abesse,
Et Lydi iubet auri abire gazas.
Seu promittat honorem; abesse honorem,

Et quemuis iubet exulare fastum;
Seu quicquid minitetur illa, quicquid
Proponat, iubeatq́ꝫ, postuletq́ꝫ;
Duro marmore durior, recusat
Illi vendere corporis pudorem.
Hinc vermes oculus sepultus omnes
Annis arcuit amplius trecentis.
Hoc planè decet; hoc decebat vnum,
Vt corrumpere quem nequibat vllus
Reginæ furor impotentis, illum
Nec corrumpere vermibus liceret.

XCVII.

Tumulus GVIDONIS vltimi Regis Hierosolymorum, cum sancta Cruce capti.

Ille ego Guido fui, Solymi pars vltima Regni,
Heu, magna imperij Guido ruina mei!
Hîc vbi Iesseios cinxit diadema Nepotes,
Sceptrigerosq́ꝫ diu nutrijt Aula duces.
Hîc, vbi presserunt innoxia tempora dumi,
Diuinasq́ꝫ nocens risit Arundo manus.
Hîc itidem & gemma cinxi caput altus & auro,
Hîc regale mihi dextera gessit ebur.
Victus in Abdario iam deniq́ꝫ Marte triumphor:
Et sensit casum Crux quoq́ꝫ capta meum.

Par-

Parcite Balduini, Godefridi parcite manes,
Hæc mihi res vestro more cauenda fuit.
Atqui Europæi reges ne parcite: Vobis
De culpis restat pœna petenda meis.

XCVIII.

De expeditionibus veterum in Terram sanctam.

Longa Palæstinas cùm iniuria carperet Vrbes,
Seruaq; sub Phario fleret Iduma iugo,
Capta peregrinos optabant Mœnia cœtus,
Neglectasq; diu squallida Templa preces.
Et limen, quod Aui tot quæsiuêre Patresq;,
Tunc Patres cœpit quærere, cœpit Auos.
Et toties genibus signata sacraria flexis,
Et toties vdis tacta sepulcra genis.
Et toties calcata pio vestigia fletu,
Arida tunc longo consenuêre situ.
Romanus sed sera Pater pòst quàm induit arma,
Occiduas mittens ad pia bella manus,
Tullingi misêre viros; misêre Britanni,
Misit Iapygias Daunia turma rates.
Vidimus Ausonios, ensesq; venire Sicanos,
Et Germanorum vidimus arma ducum.
Tunc solitis iterum viguerunt cœtibus vrbes,
Tunc iterum Tyrio sunt data iura mari.

Tunc iterum Solymi caluerunt marmora busti,
Tunc iterum notas audijt Ara preces.
Maiorum, dices, hæc facta fuêre. Fuerunt:
Facta sed hæc cuius posteritatis erunt?

XCIX.

In funere PHILIPPI Cardinalis purpurati.

Ausonij caperes cùm Iura, Philippe, Senatûs,
In domino Vestes erubuêre suo.
Sed festina tibi cùm stamina Parca secaret,
Emoriente repens pallor in ore fuit.
Et simul in tristem Vestes abiêre nigrorem,
Purpureusq; togæ cœpit abesse rubor.
Hinc suus ergo color iam desiit esse Galero;
Nempe suus domino desiit esse color.

C.

In funere FERNANDI, liberalissimi Principis.

Pauper ab effosso ditescit turba metallo,
In terræ medios dum solet ire sinus.
O vtinam has posset tumuli penetrare fodinas,
Eruta Fernandi plus daret vna manus.

CI.

De FVRNIO, prodigi parentis æmulo decoctore.

Fur-

Furnius à patria non degener indole potor,
Ingenio patriam vicit & arte gulam.
Singula conuiuis preciosæ pondera gemmæ
Triuit, & affuso diluit illa mero.
Ipse prior cyathis instare capacibus; ipse
Sardonychata sibi fundere Vina prior.
Mox acies certare duci, vastare diotas,
Mensaq; gemmato pota madere lacu.
Deniq; Vina suo quæ quisq; ligurijt haustu,
Illa Senatoris singula Census erant.
Furnius hæc adeò fuit inter prandia potus,
Vt, cœnaret vbi, vespere nescierit.

CII.

In Funus Amici, gelidissima hyeme celebratum.

Tinxerũt calidis veteres sua Funera lymphis;
Debet & hæc aliquis spargere nostra latex.
Quid facimus, glaciata gelu cùm lympha negetur?
Ex oculis haustas FVNVS *habebit* AQVAS.

CIII.

In furaces Hæredipetas.

Furtiuo manus ardeat Pyropo,
Et rapto gemat Arca sub metallo,
Et res patria crescat vsq; & vsq;,
Agris addere dum studetis Agros,
Census censibus, atq; inempta raptis;

Non sunt (quid dubitatis?) ista, non sunt,
Etsi creditis esse Iura, non sunt.
Vos accrescere tunc iubetis Assem,
Iussit tollere Cera cùm Trientem.
Expunctus queritur dolendus Hæres,
Quem pro diuite prædio obtinendo
Versu Cera locauerat secundo.
Nam vos Dulcibus inuidi CADVCIS
Ceram vertitis omnem; & arte magnâ
Ex Longis facitis breues tabellas.
Sed qui crescere sic iubetis AVRVM,
Si rectè memini, iubebit olim
Vos decrescere, ne timete, FERRVM.

CIV.

SARMATA in foueam mellis prolapsu; & insperato ab Vrsa extractus.

LVCVS *Hyperboream quà proximus aspicit* ARCTON,
Tardaq; pinifero sustinet ASTRA *iugo;*
Aërio plaudunt ibi fœta Cubilia partu,
Indigenasq; fouet plurima Quercus Apes.
Mellitos inibi sudant loca pinguia succos,
Stillantesq; tegit multa Cauerna fauos:
Nec desunt Ouib⁹ sua, nec sua mulsa Iuuēcis,
Sed capit Hybleas Vrsus & Vrsa dapes.
Fortè per illa viam carpebat Tesqua colonus,

Ex

Ex aliquo cupiens tollere Mella specu.
Qui nemora ambiguus pòst quàm exijt omnia; vidit
Deniq; odorifero consita prata thymo.
Vidit; & hæc, inquit, redolentis copia floris
Omnia quæsiti proxima Mellis habet.
Indagare iuuat. Vetus haud procul Arbor hiabat;
Et vetulæ deerat tota Medulla trabi:
Sed Caua ne nullam retinerent Robora vitã,
Viuus in exanimi stipite cœtus erat:
Cœtus Apũ, magnis qui par Legionibus ibat,
Purpureos Floræ cùm popularet Agros.
Dixisses Hyblæ nemus omne volare; trabiq;
Vnius in vacuos omne migrare sinus.
His patrium faciebat opus Gens innuba cellis;
Condita securo sic rata mella penu.
At nimio Quercus demũ saturata Falerno,
Ebria seruatas ferre nequibat opes.
Melleus ergo latex superexundauit; & altum
In Scrobe fecerunt deflua Mulsa lacum.
Aequa solo iam Vallis erat, iam plurima cano
Desuper in Mellis creuerat Alga vado;
Sarmata cùm trunci vidit caua robora; & amens
Non exploratâ cœpit adire viâ.

Iamq; propinquus erat, fouea cũ captus hiatu,
Induit incautos Rore tenace pedes.
Vtq; pedes magis vtq; genu subsidere sensit,
Vtq; deinde Femur cedere, deinde Latus,
Territus, ô Superi defendite, dixit. Et inter
Dicta repentinus fluxit in ora liquor:
Tunc trepidare miser, lentiq; coagula mellis
Nil profectura â dissociare manu.
Tunc pedibus, totoq; diu contendere trunco,
Ægrumq; ex alto tollere Melle caput.
Sarmata conatus tamen omnia & omnia semper
Hæsit in Hybleis Sarmata mersus Aquis.
Quare vbi fracta sibi succũbere robora vidit,
Instituit externam poscere mersus opem;
Arua rogat; Nusquã vllus erat. Rogat Astra; roganti
Tendere qui vellet brachia, nullus erat.
Interea bis Phœbus aquâ se lauit Iberâ,
Cynthia nocturnos bis Soror egit equos:
Nullus adhuc spondebat opem. Tunc membra lababant,
Raucaq; defectus fugerat Ora sonus,
Nil nisi de viuo restabat lacrima vultu,
Cætera semianimũ membra cadauer erant.
Ipse tamen cecinit priùs hunc sibi præfica lessum,

Mor-

Mortua quàm tumulo conderet ossa suo.
Certè, ait, vt multi tumulo meliore quiescant,
Dulcior est nulli quàm mea tumba mihi.
Dixit; & extremo conuersus ad æthera voto,
Nunc ait, ô oculis Astra valete meis:
Vos sola ignaris mea pandite funera Gnatis,
Nam vos sola meum conscia funus habet.
Iamq; oculos clausurus erat, cùm visa repĕtè
Intremuisse graui stridula silua metu.
Nam fera, nescio qua, Vicino erupit ab Antro,
Et timuit visam territa silua feram.
Tunc, licèt in Mortem properaret Sarmata, rursum
Sarmata fatali mouit ab amne caput.
Monstrum informe videt. Catulis comitata duobus
E medijs Siluæ prosilit Vrsa rubis.
Et celeri per trita Viæ compendia cursu
Ambrosii visit cognita lustra meri.
Gratuitisq; gulam dapibus non parca saginat,
(Nobilis ô qualem pascis Hymette gulam!)
Hîc quid agat: dubius clamaret Sarmata: porta
Opportuna statim cederet esca feræ.
Cessaret: lenti moreretur glutine visci;
Mors habet exequias vtraq; penè pares.

Lenta tamen Mors est in Melle timenda: citatam
Ergo minetur, ait, mitior Vrsa necem.
Sic parat apposito disponere brachia flexu,
Pasta suum in siluas dum fera carpat iter.
Mox vbi daps brutum saturauit Hymettia ventrem,
Auersumq; lacu cœpit abire pecus;
Rusticus extendens è lento brachia visco,
Insidiante capit terga ferina manu.
Hîc laqueo captam se credidit Vrsa; suoq;
Impositis tergo Vincla coïre feris.
Aduocat ergo omni Vires è corpore, donec
Tergi appendices exuat insidias.
Vsq; laboranti tamen imminet hamus & hæret,
Et premit ille magis, quò trahit illa magis.
Visa videre fuit Ceromate delibutos
Ridiculo Pugiles vna Palæstra duos.
Vtq; diu paribus certatum est Viribus; Hostē
Traxit ab infausto fortior Vrsa lacu.
Sic demum capis Vrsa fugam; sic Sarmata vitam;
Sarmata mellito penè perempte vado.
I querere, & solis Mortem puta inesse Venenis,
Quò gula plus Mellis, plus gula Mortis habet.

IN-

INDEX.

A.

An-

Caroli

Gla-

Igna-

Macha-

Ni-

Seba-

Vir-

FINIS.